



CAMBRIDGE
PUBLIC LIBRARY

PRESENTED BY
MORRILL WYMAN, M. D.,
OF CAMBRIDGE, MASS.

PROPERTY OF THE CAMBRIDGE PUBLIC LIBRARY,
Deposited in the Boston Medical Library,
by order of the Trustees.

Date APR 28 1904

DE CONCEPTU

ET GENERATIONE HO-

MINIS, ET IIS QUAE CIRCA

hec potissimum considerantur, Libri sex,

congesti opera IACOBI RUF

Chirurgi Tigurini.

*INSERTAE quoque sunt picturae uariae fetus, pri-
mum in utero siti, deinde in partu, mox etiam matricis &
instrumentorum ad partum promouendum & extrahen-
dum pertinentium, nec non postremo uariorum monstro-
rum insuper.*

CHRISTOPHORVS FROSCHO-

VERVS EXCVDEBAT TIGVRI

ANNO M. D. LIIII.



IACOBI RVEFF
 DE CONSILIO ET RA-
 TIONE OPERIS AD LE-
 ctorem, Præfatio.



CONSYDERANTI mihi, Lector humanissime, iniqua multorum de bonis quorundam institutis iudicia, qui nihil non, nisi quod ipsi fecerint, liuido mordere dente solent, sermè contigit ut his quoq; presentis libri laboribus abstinuisssem. Sed magis publicæ necessitatis cura ductus, quam liuidis illorum moribus impeditus, hos subire tandem non detrectavi. Neque enim par uisum est propter paucorum rigorem & calumnias omittere, quæ publice multis multum profutura uidebantur esse. Licet uero tanto præsentis materiæ oneri sustinendo impares humeros esse fatear, conandum tamen imbecilliori, cum nemo robustior succederet, fuit aliquid. Talis enim tanq; necessaria hæc existit materia, ut de hac tractare summe etiã fuerit necessarium. Sed quia hanc de Generatione hominis, & quæ circa hanc consyderantur, tractationem, à multis alienam quasi professionem præteriri, ab alijs quorum proprium erat hæc pertractare negligi, à nonnullis etiam contemni uidemus: nos perpensa summa huius tractationis necessitate, propter infinita quæ uidimus hæc tenus ex huius professionis ignorantia, enata incommoda, non potuimus quin propter publicum bonum tandem daremus aliquid. Aliorum hæc dare fuerat, quia tamen multi sibi parcuunt, multi circa alia minus forte utilia desudant, plures autem rebus alijs speculando, legendo & agendo incumbunt, horum uero nihil dant, nolimus nos harum præceptionum indigos ea quam consecuti sumus cognitione frustrare diutius. Prodidere quidem de his non pauca Veteres, quæ aut temporum infortunio perierunt, aut sermonis, quo scripta sunt, squalore contempta iacent. Prodidere recentiores non pauci, quorum alij tanta obscuritate, ut nequeant intelligi: alij tanta breuitate, ut nil solidum ex his imperitiores queant assequi: alij tam prolixis libris, ut uix queant perlegi. Qui uero melius, illi etiam forte breuius: licet nullus horum sua laude fraudandus sit. Medium ergo nobis sequi placuit, ne uel breuitate nimia rē tenebris inuolueremus, aut nimis effusa tractatione ambages faceremus, legentiq; induceremus tædiū.

P R A E F A T I O .

Præsentis autem instituti non est, tantam ad paucula præcepta tractationem restringere, uel ex tam copiosa materia unam aliquam tractare particulam: sed pro contemplando totius humanæ naturæ opificio, rem ipsam ex fundamentis petere, & à primis eius materiæ ordini principijs. Tradendi enim meliorem fingere quàm ipsa natura sequitur ordinem, nemo poterit. Quotquot enim ab hoc in tradendis declinauere rebus, plus tenebrarum quàm lucis suis affundere traditionibus. De semine itaq; & eius natura primum dicemus, nec non de conceptu, mirabilisq; eius in utero alteratione & incremento, ut hinc uel leuiter rem considerantibus, primæ illa Dei Opt. Max. ex nihilo conditoris omnium, adhuc eodem modo procedens stupori sit omnipotentia. Cui proximum est organi quoq;, in quo eiusce generatio fit, mentionem facere, matricis inquam, & quomodo se in illa foetus usq; ad partus horam habeat, pro agnoscenda summa illa Dei in creatione hominis bonitate, sapientia, moderatione & potentia ineffabili. Inde & ordo naturæ postulat partum ipsum, uariosq; huius casus ac formas, nec non abortus, molas, informes species, monstraq; cum causis sterilitatis & fœcunditatis uarijsq; sobolis parentumq; remedijs persequi, ad cognoscendum mirabilia Dei opera, gratiam infinitam, misericordiam stupendam, cum sacrosanctis ipsius iudicijs omnem hominum captum superantibus. Qua quidem tractatione non omnia quæ circa hanc dici possent, prosequi, sed potissima tantum complecti uoluimus: quibus omnes ad celebrandum Deum et excolenda humanitatis officia, propriæ originis ratione habita, & doctiores peritioresq; in hac professione ad perfectiora danda excitarentur.

Cæterum, etsi publicæ necessitatis commodiq; studiosi, uulgata nostra lingua hunc tractatum publicari uoluerimus, nolimus tamen te quoq;, humanissime Lector, huius linguæ desiderio magis detentum, hoc fraudare opusculo. Ut enim non cauillandi, non detrahendi, nec alios qui de his priores tradidere sua gloria fraudandi, imò nec priuatae quidem æstimationis, sed publicæ tantum utilitatis gratia, hoc opus instituimus: ita de te nobis uicissim promittimus, non maligno te hæc à nobis suscepturum animo, sed moderato iudicio, ea quæ aliorum sunt, ad communia præcepta relaturum: quæ uerò nostra, nostræ experientiae monumenta agniture, publicæq; utilitatis studio cupide suscepturum animo. Nos nostram, ut debemus, publico (uti nobis promittimus) comodo liberamus fidem: tu uero quantum in te est, hæc diligenter inspice, perlege, frue, Vale.

DISPO.

DISPOSITIO OPERIS

PER ARGUMENTA

Librorum & Capitum.

L I B E R P R I M V S

de Generatione hominis.

- Cap. 1. De genitali femine, quid sit, unde & quomodo nascatur.
- Cap. 2. De mixtura utriusq; sexus feminis eiusq; substantia & forma.
- Cap. 3. De tribus tunicis quibus foetus in utero munitur ac tegitur.
- Cap. 4. De tribus facultatibus corpus dispensantibus, & ipso Spiritu.
- Cap. 5. De uera partium generatione, & incremento foetus pro ratione dierum ac mensum.
- Cap. 6. De nutrimento foetus in utero, quibus alimentis alatur, & quando in infantem excreseat.

L I B E R S E C V N D V S

De Matrice & eius partibus, nec non de conditione infantis in utero, & gravidarum cura & officio.

- Cap. 1. Quam necessariū sit matricis anatomen huic operi inferere.
- Cap. 2. De matricis substantia, forma, qualitatibus, & partibus annexis.
- Cap. 3. Quantę utilitatis sit exactā huius tractationis tenere notitiā.
- Cap. 4. De conditione infantis in utero, & gravidarū cura et officio.
- Cap. 5. Quomodo se infans in utero, 5. 6. 7. & 8. mense habeat, nec non de discrimine sexus & formarum.
- Cap. 6. De præceptis quibusdam prægnantibus usq; ad partus horam ad uarios casus admodum necessarijs.

L I B E R T E R T I V S

De Partu, & parturientium infantiumq; cura omnifaria.

- Cap. 1. De legitimo partus tempore & forma, & parturientium doloribus.
- Cap. 2. De obstetricum officio & apta sedilis forma.

- Cap. 3. De naturalibus quibusdā præceptis & medicaminibus partus moram & difficultatem alleuantibus.
- Cap. 4. Quomodo Secundæ morā facientes ad facilem exitum peromouendæ sint.
- Cap. 5. De cura puerperæ & infantis recens nati.
- Cap. 6. Quomodo & quibus instrumentis impediti & mortui infantes producendi.

L I B E R Q V A R T V S

De differentijs non naturalis partus, & earundem curis.

- Cap. 1. De prima forma non naturalis partus, & quomodo ei subueniendum.
- Cap. 2. De secunda.
- Cap. 3. De tertia.
- Cap. 4. De quarta.
- Cap. 5. De quinta.
- Cap. 6. De sexta.
- Cap. 7. De septima.
- Cap. 8. De octaua.
- Cap. 9. De nona.
- Cap. 10. De decima.
- Cap. 11. De undecima.
- Cap. 12. De duodecima.
- Cap. 13. De decimatertia.
- Cap. 14. De decimaquarta.
- Cap. 15. De decimaquinta.

L I B E R Q V I N T V S

De mola alijsq; falsis uteri tumoribus, simulq; de abortibus & monstris diuersis, nec non de conceptus signis uarijs.

- Cap. 1. De mola, cæterisq; falso creditis conceptibus.
- Cap. 2. De cura molæ & aliorum falforum tumorum uteri.
- Cap. 3. De imperfectis infantibus, nec non monstrosis & prodigiosis partibus.

Cap.

- Cap. 4.** De abortus causis & signis, nec non de abortientium omnia-
faria cura.
- Cap. 5.** De signis conceptus.
- Cap. 6.** An homines ex dæmonibus, & rursus dæmones ex homi-
nibus infantes concipere possint.

L I B E R S E X T V S
De sterilitatis causis diuersis, & de præci-
pue matricis ægritudinibus, om-
niumq; horum curis uarijs.

- Cap. 1.** De sterilitate uirorum & fœminarum, eiusq; causis & signis.
- Cap. 2.** De cura sterilitatis à phlegmate profectæ.
- Cap. 3.** De cura sterilitatis, à biliosis matricis humiditatibus obortæ.
- Cap. 4.** De cura sterilitatis, si à matricis sanguineis humoribus super-
fluis proueniat.
- Cap. 5.** De cura sterilitatis ex melancholico humore natæ.
- Cap. 6.** De cura sterilitatis, à nimia caliditate, siccitate, humiditate &
frigidityate profectæ.
- Cap. 7.** De generalibus quibusdam præceptis, uirorum & fœmina-
rum sterilitati curandæ inseruentibus.
- Cap. 8.** De suffocatione matricis, eiusq; causa, signis & cura.
- Cap. 9.** De præcipatione matricis, eiusq; causis & cura.
- Cap. 10.** De superfluitatibus menstruorum, & eorundem cura.
- Cap. 11.** De retentionis menstruorum causis & cura.

CONRADVS GESNERVS
ad Lectorem.

NON parca laus debetur illi & gloria,
Qui rebus in magnis sui
Exercet ingenij uires: & publice
Prodesse quærit plurimis.
Sed alij rerum partes alias excolunt,
Laude omnes dignandi sua.
Excellit ille, principia qui maximè
Doctrinæ cultu ornauerit.
Iam porrò ut princeps omnium rerum est homo,
Quas mundus hic complectitur:
Sic principem illi gloriam debebimus,
Qui nascituro fert opem
Homini doctrina scriptisq; , ut initia statim
Sint commoda & facillima.
Quod si quis non multum, nec magna præstitit,
Conatus est laudabilis
Et institutum saltem, quod quidem optimum
Fuit Iacobo Rueffio
Chirurgo insigni, & artis experientia
Passim celebratissimo.
Amore hunc Lector te decebit candido,
Multo & fauore prosequi,
Fruiq; rebus traditis ab eo magis,
Quàm uerba carpere & stylum.

LIBER PRIMVS DE GENERATIONE

H O M I N I S.

C A P V T I.

De genitili semine, quid sit, unde & quomodo nascatur.



R O C R E A T I O N E M naturalem hominis, talem omnino obseruamus, qualem omnis generis stirpium generationem animaduertimus. Vt enim ille ex semine sui quæque generis telluri commisso, germinat, augentur, & ad perfectam suæ naturæ formā naturaliter excrescunt: ita homo quoque rationalis creatura, sui corporis ratione, ex uiri genitura in uterum foeminae, tanquam agrum, proiecta, naturaliter suum trahit principium. Ea ipsa autem genitura, quam sperma siue semen dicimus, sua origine atque natura, superfluum tantum humor est, residuum inquam alimenti, & superfluum tertiae in corpore concoctionis, per abstrusa organa ex potissimis corporis membris ad partes genitales deductum, generationi inseruiens.

Semen genitile quid sit.

Oritur autem ex omnium alimentorum hominis nutritioni inseruientium residuis, eorundem naturaliter in tertiam usque concoctionem alteratione facta; ex cuius concocti alimenti superfluo, suo modo hoc recollectum, pro ætatis & naturæ constitutione, generari comperitum est. Fit enim cuiusque cibi in animantis alimentum conuersi, usque ad seminis generationem triplex conco-

Vnde nascatur.
Concoctiones quatuor.

- ctio, sequente nihilominus ea quæ omnium concoctionum est purissima. Alimento namque per manducationem ad uentriculum demisso, mox quod syncerum alimentum reliquis destinatur partibus (excremento sicco per intestina ad aluum depulso) per uenas meseraicas exugentes, raptum ad unam ueluti portam, ex innumeris canalibus corruatum, iecinori infertur. Vbi ad prioris in uentriculo concoctionis rationem, altera mox etiam in hepate ad ipsum deriuati alimenti fit concoctio: & separatis superfluis, utraq; bile scilicet, & humore aquoso à uasis emulgentibus attracto, ut colatus per renes, inde per ureteres meatus in uesicam defluat, residuum per concoctionem hanc hepatis defecatum, sanguis inquam ad cor, uelut ad uitalem administrationem transmittitur. In corde rursum tertia semel sumpti alimenti fit concoctio. Illic enim sanguis uitali assumpto spiritu, per singula corporis membra diffusus, rursus quod in se superfluum est per latentes poros excernit. Tandem hic spiritus per uasa spermatica, uenæ cauæ ramos, deriuatum sanguinem, amplius illic concoctum, in spermatis naturam conuertit, minimorum ad hoc uasorum crispatis reuolutionibus & glandulosa testium & quas parastatas uocant substantia, conducen-
tibus. Sic elaboratus in hepate sanguis, & in uitalem spiritum magna ex parte conuersus, mox per aortam arteriã eiusque ramos ad omnia reliqua totius corporis membra deriuatur. Inde uero quarto loco (ut hoc præter institutum subiiciamus) assimilatio fit, uegetante & confirmante hoc succo uitam qui ultimo omnium purissimus cum uitali spiritu remansit, expulso rursus in sudore per poros, si quid impuri uel relictum uel obortum fuerit.

Quomodo
nascatur
semen.

Cæterum

Cæterum ut planior nobis huius generationis & originis ratio constet, eandem stirpium quoque & si quæ cum stirpibus sub eandem rationem cadunt, originem esse, subiecta breui demonstratione declarabimus. Itaque quemadmodum in cuiuscunque generis seminibus, granum ipsum terræ commissum, omnium sequentium alterationum alimentum, & quasi primū subiectum existit, unde in similem sui naturam germinat, augetur & excrefcit; ita sumptus cibus in humano corpore primæ uariæ concoctioni præbet materiam. Et ut illic certissimam discretionem puri ab impuro, & residui à superfluo obseruamus, ita hic naturalem inutilis ab utili separationem certis suis gradibus animaduertimus. Primo enim semen terræ commissum, mox eius humore tumidum, pellicula sua qua conclusum erat sese exiit, sursumque germinando illam, quasi siccum excrementum, inanem proijcit, grano interim, ut ad incrementum tendat, progerminante. Incremento deinde ad nudatam usque florem tendente, altera depuratio florem in eminentia ramī natum deijcit; denudatam autem florem frugis spem, uelut hoc quod purum & utile ex altera purgatione remansit, conseruat. Exinde, fruge iam ad iustam quantitatem enata, tertia alteratio folia, uelut huius gradus superfluum, deijcit, fructum uero iam toties excoctum, ad utilitatem alimēti hominum data maturitate, destinat. Iam uero & fructum ipsum latens in eo semen uel rumpit, uel putrefaciendo excutit, terræque commissum, rursum in suæ naturæ proprietatem festinat, non in se quod est manens, sed ad sui primitiui unde enatum est similitudinem tendens, ut omnino uerum in eo esse constet, Naturam similia sibi generare. Quiduis enim eius unde enatum est formam & simili-

Similis ratio feminæ in stirpibus.

1.

2.

3.

4.

*An ex cere
bro genita
le semen.*

tudinem naturaliter appetit: unde non è piro mala, ut nec è malo pira, nisi insitionis & plantationis ratione secus fiat, generari uideas. Quare idem in hominum generatione, quod in stirpium ortu, agnoscendum relinquitur, ut quoniam ex uno semine membris bene distincta corpora generari uidemus, ex distinctis quoque corporis partibus illud oriri credamus. Vnde, quid & quam bene dicant, ipsi uiderint, qui genitale semen tantum ex cerebro generari asseuerant, cum & concoctio num rationi & corporum constitutioni minus hoc sit consentaneum. Certum quidem est, aliquam huius nec paruam etiam partem à cerebro deriuari, potissimam autem ex totius corporis potissimis partibus colligi. Si enim ex una aut altera tantum parte hoc generari dicamus, illud ipsum non fallaci ratione cõsequi nemo non uidebit, easdem tantum partes iterum generari oportere. Recte itaque dicimus, præter eam quam & à cerebro trahit originem, ex toto quoque corpore eiusque partibus potissimis generari, effectu ipso causam docente, maxime cum membra distincta & ad iustam corporis formam perfecte absoluta in prognatis uideamus. Habemus pro nobis contra aliorum opiniones ipsum quoque Hippocratem omnium medicorum facile principem: qui & ipse genituram ex toto colligi corpore asseuerat, & ita quidem, ut constitutioni generantis, generatum quoque respondeat, ex infirmo inquam semine, infirmo, ex ualida uero genitura, ualido nato homine. Quibus accedit quod & in liberis quoque non raro eas, que & parentibus ægritudines uel uitiosæ corporis notæ insunt, obseruamus, quæ genituræ uitio in ipsos transisse omnino credimus. His itaque certò cõstitutis de genitalis seminis origine atque materia hæc præmississe sufficiat.

C A P V T II.

De mixtura utriusq; sexus seminis, eiusq; substantia & forma.




OSTQVAM autem uterus, quod genitale foeminei sexus membrum est, uiri genituram conceperit, suum quoq; semen illi admiscet, ita ut ex ambobus utriusq; sexus seminibus una mixtura fiat. Circa hanc autem proximam foetus *Prima foetus materia* materiam, non omnibus idem est iudicium. Aristoteles enim foeminae menstruum, praeparata dicit esse totius foetus, licet crudam materiam, quae informetur in tromisso in hanc uirili semine in uitalem spiritum uerso, qui artificis instar hanc distinguat, & fabri instar rude ferrum malleo super incudē complanantis, formet. Galenus autem ambo in matrice confusa semina primam foetus perhibet esse materia, & ita quidem, ut sine debita horum mixtura nihil neq; concipiatur neq; generetur. Licet uero par horum confusio fiat, tamen non eandem eorum esse qualitatem, non est dubium. Calore enim & spissitudine uiri genitura muliebri semen superat, quod pre illo magis humidum & frigidum, ideoq; & aquosum magis esse, uel temperamentum ratione constat. Nihilominus tamen, licet in tantum qualitate differant, muliebri semen uiri geniturae par in foetu constituendo praebet auxilium, ita ut utriusq; uirtute simul ipsa inter se semina mutuò coalescant.

Porrò cum sanguis menstruus geniturae muliebris materia sit, (ut huius etiam non minus quam uirilis genitura origo constet,) tenendum est, menstruum aliud *Menstruum quid sit.* non esse, naturali ratione habita, quam tertiae coccoctionis excrementum, singulis mensibus collectum expur

gatumq; , à mense lunari menstrua purgatione dicta. Quæuis enim foemina eius quæ purgationem hanc ferre potest ætatis, uale tudine modo corporis bene constituta, naturaliter singulis mē sibus ab hoc superfluo purgari debet. Et ea ipsa de causa expurgationem hanc Germani florem uocāt, quod quemadmodum arbores quæ flores non emittunt, uel senio uel naturæ uitio; non fructificant: ita etiam quæuis foemina, hoc flore, hac in quæ purgatione suo tempore destituta, naturaliter neq; concipere neq; generare possit, sterili uiro similis, eadem generandi facultate, aut aliquo uitio, aut propter cōplexionem nimis humidam & frigidam, exhausto calore naturali, destituta.

Mixtis itaq; ambo bus seminibus & in uterū receptis, mox tenui quadam tuni cula ex calore matricis generata concluduntur, et ad formā ouī tenuissima pellicula cō clusi coagulātur, quæ admodū adiecta hæc ipsa figura demon stratur.



C A P V T III.

De tribus tunicis quibus foetus in utero munitur et tegitur.

Prima fœtus tunica Chorion.




GENERATO primum post conceptionem loco, conclusus in illo se uitalis spiritus exerit, & munimenta concepto fœtui generantur. Et primum quidem ex extrema seminis superficie

cie, propter muliebris genituræ humiditatem aquosiorē, tenuis membrana generatur, quæ propter humidiorē qualitatem latius extenditur, pellucida primū, post partum autem in fasciculum conclusa, chorion uel secundæ dicta. Ex huius autem humiditate superflua, generantur & aliæ duæ tunicæ, quæ à superfluis foetum muniunt, ueluti à menstruis post conceptum retentis, nec non alijs quoq; superfluitatibus, quæ neq; alimento neq; incremento foetus seruiunt, sed officiant magis, nihilominus tamen in matrice intra secundas usq; ad pariendi tempus retinentur, quando aut sponte ruptura facta, aut obstetricis ope soluta, diffluunt.

Secunda itaq; tunica Arabicè Biles, Græcis allantoides dicta, conuexis foetus partibus adiacens, ab umbilico omnia inferiora concludit, rugosa & sinuosa admodum, sinuosa uesti non absimilis, in quam urina, sudores, et si qui alij acriores humores à maturo ferè iam foetu profluunt, destillant, & ad pariendi tempus usq; detinentur. Maturiores enim iam infantes nō per ureteres ad pudenda, sed meatibus quibusdam per umbilicum extra septum hoc urinā excernunt. Ab hac ergo et humoribus alijs foetus illa tunica munitur, ne horum acrimonia afficiatur, aut impuritatis aliquid sibi contrahat.

Tertia tunica, totum foetum interius ambiens undiq; complectitur, & ab humoribus & asperioribus exterioribus tu



Tertia Ab
g45.

nicis tenerum foetum defendit, mollicula & tenuis admodum, eoq̄ à Græcis amnoea, quasi ad agni mollitiẽ accedens, nuncupata. Quibusdam uero Armatura conceptus, Arabicè abgas dicitur. Harũ autem tunicarum differentias cum contentæ genituræ mixtura, adiecta figura declarat.

C A P V T IIII.

De tribus facultatibus corpus dispensantibus, & ipso spiritu.



IXTA iam & conclusa utraq̄ uiri & foeminæ genitura, mox uis siue facultas, animę inquam potẽtia essentialiter ei ad suas in corpore actiões peragendas attributa, se exerit, & triplici ferẽ modo conuenienter operari incipit.

Prima Facultas naturalis. Prima facultas naturalis est, facultatum aliarum foames & basis, animalibus simul & plantis communis. Hac mox à tempore generationis usq̄ ad perfectiõ-

nem eius quod generatum est operatur, augmentando inquam & nutriẽdo. Locum autem in hepate obtinet, unde deinceps per uenas in totum corpus spargitur. Eius uero operatio prima fronte duplex esse deprehen-

1. Alteratrix ditur. Alteratrix inquam, quam immutatiuã nonnulli dicunt, quæ generatim primum seminis substantiã immutat, & ex eo quod ante fuerat in substantiam singulorum partium ut singillatim fiat quælibet, conuertit; particulatim uero ex mixtis qualitatibus & elementaribus facultatibus in eam substantiam rursus intendens, per calidum & humidum molliorem substantiam efficit, qualis in animalibus est caro, in plantis uero flores & medulla; per calidum & siccum in animalibus cor, in plantis radices; per frigidum & humidum in animalibus pilos, in plantis folia; per frigidum & siccum autem

in

in animalibus neruos & ossa, in plantis uero cortices & ligna, operatur. Formatrix deinde, quam Informatiuam uocant alij, quæ eam quæ alteratur materiam, effingit ad eius similitudinem, unde suam traxit originem, partibus suo primitiuo similibus singillatim dispositis. Hac ipsa partes quæ cauæ esse debent, ueluti intestina, uenæ, arteriæ & similia, cauæ fiunt: quæ uero solidæ, solidæ itidem. Et breuibus, hæc omnia singillatim uel minutissima quæq; format, & cuiusuis particulae superficiem perficit, ita ut nihil otiosum, nihil etiam superfluum existat.

His autem principalibus facultatibus ad naturalem uim in perficiendo animali pertinentibus, aliæ quoq; auxiliares uel famulantes potius insuper accedunt. Generatrix inquam uel generatiua, in longitudinem, latitudinem & profunditatem ipsum generatum diducens. *Facultates auxiliares uel famulantes.*

Auctrix etiam, quæ per nutritionem auget, & ad iustum augmentum usq; perficit. *1.*

Nec non & Nutrix, quæ foetui in utero iam inde à concepto semine seruit, fouetq; ut tot ac tantis animalis partibus constituendis sufficiat. *2.*

Ultimæ autem huic aliæ quoq; auxiliares facultates quatuor accedere perhibentur. Attractrix, quæ appetitiuam dixere quidam, quæ conueniens nutrimentum singulis partibus sua uis ceu instrumento attrahit, ueluti pro carnis nutrimento substantiam sanguinis, pro cerebri uero alimento substantiam phlegmaticam, & si militer in alijs calida & sicca facultate sua operans. *3.*

Costrix uel alteratrix calida & humida uis operans, alimenti substantiam immutat, & diuersæ naturæ alimenta in unam ueluti massam redigit. Retentrix uel retentiua, quæ purum nutrimentum retinet (unde id excoctum singulis membris assimilatur atq; unitur) frigidi & sicci

ope usa. Expultrix uel expulsiua, quæ superflua, neq; quantitati neq; qualitati partium conuenientia, ideoq; partibus nullatenus assimilanda, humidæ & frigidi ope, necessario expellit.

Secunda facultas Vitalis.

Secunda facultas quæ in humano semine principaliter operatur, Vitalis dicitur, & suum in corde locum habet. Ea autem cor uiuificat, à quo per arterias annexas uitalis spiritus ad omnia membra, naturali facultate disposita, uiuificanda, cor atq; arterias dilatando & constringendo procedit. Dilatando inquam, quia quæ cordi motiua uis inest, ipsius cordis motum à medio ipsius in omnes extremitates dilatat. Constringendo autem, quia eadem uis cordis motum ab omnibus extremitatibus rursus ad medium ipsius colligit & constringit.

Pulmo.

Vtrumq; uero horum pulmonis beneficio fieri uidemus, qui foliis instar aerem cordi per arteriam attrahit; is ab eodem rursus ad alias corporis partes per arterias transmittitur. Idem continuo motu pectus mouet, neruis & lacertis motis primitus. Summe ergo necessarius hic est, tum propter naturalis caloris circa cor mitigationem, qui ex aere frigido temperandi gratia nimium calorem attrahitur, maxime cum tanti caloris ipsum cor esse constet, ut nisi ex aere frigidum per pulmonem sibi subinde temperamentum attraheret, in se mox suffocatum periret: tum etiam propter uitalis spiritus nutrimentum, ex cuius temperamento animalis generatur spiritus, cuius in cerebro sedem esse mox dicemus: unde omnes nerui originem trahentes, per spinam dorsum descendunt, & in corpus hinc inde diuiduntur, nec non & à primitiuo suo animali spiritu ope uitalis spiritus conservantur. Idem tamen ille per anhelitum attractus pulmonis ministerio aer, & in uitalem spiritum transiens, multis

multis quoq; modis non rara obseruatione corrumpitur, cerebri inquam dispositione mala, infectione hepatis, affectione cordis, perforatione pulmonis & similibus, exterius quoq; accedente nimia aeris corruptione: de quibus in præsentî plura dicere, & præter institutum & præter utilitatem aliquam singularem foret.

Tertia facultas Animalis est, quæ regina ueluti summum locum occupat, sedemq; in cerebro obtinet. Ea uero triplex certò deprehenditur. Prima enim huius uirtus Ordinatrix est, quæ totum cerebrum disponit, & sola suo ordine occupat. In priori enim huius parte Imaginationem, in mediâ Rationem, in posteriori uero collocat Memoriam. Quod enim in prima cellula phantasia concepit, mox id ad Rationis domicilium uelut iudicandum transmittit: & quod hic iudicio decernitur, Memoriam ad cõseruandum & in effecta dirigendum relegat. Altera Sensitiua est, quam licet uariam pro sensuum ratione sciamus, hoc tamen fieri modo teneamus. Spiritus animalis (cui modo in cerebro locum esse diximus) procedens ab interioribus cerebri cellulis, mediantibus neruis quibusdam subtilissimis, sensus format, & sua uirtute horum neruorum ministerio, ad oculos uisum, ad nares olfactum, ad aures auditum, ad palatum uero gustum dirigit, quos ex sensibus capitatis tantum numerari uidemus. Tertia Motiua, in cerebro generata: cui mouere proprium dicitur. Sicut enim spiritus animalis disponit & dirigit ordines ac proprietates sensuum, uti prædictum: ita eiusdem beneficio motus quoq; diriguntur, quibus spirituum uirtutes dilatantur, & ad alia quoq; membra dimittantur.

Cæterum ad omnium harum facultatum perfectionem, necessario spiritus exigitur, cuius beneficio &

motu continuo tam sensus quàm uirtutes impellantur,
 ut actiones suas peragant. Hunc autem dicunt subtilem
 quandam aeream esse substantiam, quæ corporis uirtu-
 tes continue ad suas peragendas actiones excitet. Et re-
 uera, hic Spiritus subtile quoddam corpus est, caloris
 uis generatum, propter sanguinem in hepate scaturien-
 tem, per anhelitum & arterias attractus, indeq; per ue-
 nas ad omnia membra diffusus, corpora uiuificans, pro-
 mouendo motui, mediantibus neruis & musculis, infer-
 uiens. Hic autem primo ad hepar dirigitur hoc modo:
 Calore existente in sanguine, ebullitio quædam fit in he-
 pate, unde fumus quidam uel uapor prodit, qui mox per
 uenas hepatis depuratus in subtilem quandam aeream
 mutatur substantiam, & Spiritus Naturalis dicitur, qui
 sanguinem subtiliat, & inde ad singula membra dimitti-
 tur. Inde, ab hepate inquam, idem ille spiritus per ue-
 nas quasdam ad cor transmittitur, ubi motu partium cor-
 dis & agitatione mutua magis purus fit, & in naturam
 magis subtilem conuertitur, & Vitalis spiritus esse inci-
 pit, eò quod à corde per arterias ad totius corporis me-
 bra se diffundit, & naturalis spiritus uirtutem auget &
 adiuuat. Rursum autem & à corde idem ille spiritus
 sursum per arterias ad cerebri cellulas penetrans, ibi-
 dem plus elaboratur, & in essentiam Animalis spiritus,
 qui omnium est purissimus, transmutatur, unde mox
 rursum per sensuum organa ad confirmandos illos ali-
 quatenus dimittitur. Licet ergo idem ille unus sit spiri-
 tus, tamen propter diuersa in diuersis partibus officia,
 aliter atq; aliter intelligitur, ut in hepate Naturalis, in
 corde Vitalis, in cerebro uero Animalis dicatur.

Cæterum hunc Spiritum non credendum est esse Ani-
 mam illam immortalem homini à Deo infusam, sed tan-
 tum

*Spiritus
quid sit.*

*Quomodo
generetur
Spiritus
Naturalis.*

*Quomodo
Vitalis.*

*Quomodo
Animalis.*

*An Spiritus
sit Anima.*


tum instrumentum & uehiculum eiusdem. Nam hoc spiritu mediante tantum, anima corpori coniungitur; neq; tamen etiam sine huius ministerio perfecta animæ in corpore exercitatio est: id quod multis rationibus probare facile esset, nisi aliàs isthæc de Facultatibus & Spiritu tractatio in longum sat nimis excreuisset.

C A P V T V.

De uera partium generatione, & incremento fetus pro ratione dierum ac temporum.




Ostquam matrix recipiendo genitæli semini naturaliter propria (magnetæ ferrũ, & electro crines ac plumas attrahenti, similis) genitæle semen receperit, & calore suo in coagulæ uel ouæ formæ ambo semina concluderit, à primo statim die usq; ad sextum uel septimũ plurimæ & subtilissimæ fibræ oriuntur, calido motu natæ, in quibus mox hepar cum potissimis organis suis naturalæ uirtute generatur. Vitalis enim Spiritus per sua organa ad conceptum semen dimissus, potissima mēbra intra decimũ diem format atq; distinguit, intromissus inq; per uenas quasdam secundæ, quibus matrix est affixa, quibus sanguis importatur, & ex quibus umbilicus generat, ut ex tertio capite cōstat. Eodē uero tēpore in cōcreto semine tria alba minuta pūcta cōcreto lacti nō dissimilia, loco hepatis, cordis & cerebri oriuntur, hæc ipsa figura teste.



b 3

L I B E R


Mox etiam uena per umbilicum directa crassio-
rem sanguinem in semine confusum, alimento idoneum, at-
trahit, unde ad huius figure formam bifurca uena gene-
ratur.



*Hepatis ge-
neratio.* In altero eius uenæ ramo sanguis colligitur, ex quo pri-
mum hepar generatur, eo modo quo supra de facultate
naturali dictum est. Vnde facile constat hepar coagu-
latum & concretum tantum esse sanguinem, massam in-
quam quandam sanguineam: nec non etiam uidere licet
quam multas & uarias in expulsiua & attractiua uirtute
uenas sibi habeat accommodas. In altero uero ramo ge-
nerantur texture illæ uel telæ uenarum, cum dilatatione
aliarum uenarum, nec non uentriculi, splenis & intestinorum
in infima uentris parte. Hinc mox omnes uenæ tanquam
rami ad unum recolliguntur truncum in superiori hepatis
texture ad uenam cauam. Is truncus mox ramos ue-
narum ad constituendum diaphragma dimittit, & non
paucos in superiorē partem spinæ dorsæ supra diaphra-
gma sitam, nec non & in inferiorē usque ad femora dirigit.
Deinde

Deinde cor cū uenis suis ab umbilico in semen exten-
tis, uitali uirtute generatur,
ad spinā dorsi directis, pro
huius figurę demōstratione.

Istæ uero uenæ calidissi-
mum & subtilissimum san-
guinem attrahūt, ex quo cor
generatur in membrana cor-
dis uel pericardio, natura
carnosum & crassum, pro ca-
lidi membri ratione necessā-
ria. Vena caua autē exten-



Cordis ge-
neratio.

dens se & penetrans interiorem concauitatem dextri
in corde lateris, sanguinem pro cordis alimēto eò deri-
uat. Ex eodem etiā eius uenæ ramo in eadem cor-
dis parte, alia quædam uena suboritur, immota quibus-
dam uel tranquilla dicta, eò quod pro aliarum cordis ue-
narum pulsantium ratione non pulset, sed tranquilla deli-
tescat, in hoc ordinata, ut excoctum in corde sangui-
nem ad pulmonem dimittat, binis arteriarum instar (un-
de uena arteriosa dicitur) circumdata tunicis. Ceterum
in cōcauitate sinistra in corde partis, maxima uena pul-
satilis Aorta dicta oritur, uitalem spiritum per sangui-
nem cordis in omnes uenas pulsatiles corporis diffun-
dens. Vt enim uena caua origo est omnium uenarum
per quas corpus totum sanguinis nutrimentum attra-
hit; ita ab Aorta deriuantur omnes uenæ pulsatiles, per
totum corpus spiritum uitalem undiquaq; diffunden-
tes. Cor enim fons & origo uitalis caloris est, sine quo
nullum nec animal neq; membrum foueri possit.

Vena im-
mota uel
tranquilla.

Aorta.


Sub modo dicta magna Aorta in cōcauitate sinistra

Arteria
nasa.

cordis, alia adhuc uena, arteria uenosa dicta, oritur. Ea etiam si uerè pulsabilis uena sit, & uitalem spiritum dirigat, unicam tantum tamen tunicam habet pro sanguinearum uenarum more. Ideo uero illa condita est, ut frigidum aerem à pulmone ad cor refrigerandi gratia deriuet, & nimium calorem temperet.

Pulmonis generatio. Quia uero ex utraq; concauitate cordis uenæ prorumpunt & pulmone inferuntur, ex his pulmo quoq; formatur. Vena enim è dextra concauitate cordis procedens, sanguinem producit subtilissimum, qui dispersis hinc inde fibris in carnem pulmonis mutatur. A magna uero uena cordis & hepatis, caua inquam & aorta generatur totum pectus, nec non successiue etiam cum brachijs crura.

Cerebri generatio. Intra prædictum tempus generatur etiam suprema & potissima huius structure pars, cerebrum inquam, in tertia huius massæ pellicula. Repleta enim tota seminis massa animali spiritu, contrahit is magnam genitalis humoris partem, & in concauitatem quandam, in qua cerebrum formetur, cōcludit. Externe autem operculo quoddam circumquaq; tegitur, quod calore tostum & siccatum, in os redigitur & Cranium fit, pro huius figuræ forma.



Sic autem formatur cerebrū, ut uitalium spirituum omnium naturas concipere, retinere & mutare possit, unde etiam & rationis & omnium sensuum initia proueniant.

ueniant. Vt enim ex hepate uenæ, ex corde uero arteriæ suam trahunt originem: ita etiam à cerebro nerui, ^{Neruorum origo.} mollioris & lenioris naturæ existentes, oriuntur, non uenarum more concaui, sed solidi. Illi autem prima & potissima omnium sensuum instrumenta sunt, per quæ omnes sensuū motus propter uitalem spiritū rite fiunt.

Post neruos ex cerebro etiam medulla spinæ dorsi ^{Medulla spinæ dorsi.} generatur, non absimilis à cerebro naturæ, ut uix medulla dici possit, tum quod nullam ad medullam similitudinem habet, tum quod nec substantia illam refert. Medulla enim superfluum quiddam est alimenti membrorum ex sanguine ortum, ad humectanda & uegetanda corporis ossa destinatū: cerebrum autem & medulla spinæ dorsi ex semine suam trahunt originem, nō pro alendis aut uegetandis alijs deputata membrīs, sed ut per se priuatas corporis partes constituant, propter sensuum motum & usum, ut inde omnes alijs nerui sua initia sumāt. Ex medulla enim spinæ dorsi plures nerui oriuntur, ex quibus corpus sensum & motum habeat, sicut ex facultate uitali & animali bono discrimine constat, ut in superioribus capitibus declaratum est.

Porro hic notandū est, ex ipso semine generari cartilagine, ossa, tunicas uenarum hepatis, & arteriam cordis, cerebrum cum neruis, rursus tunicas & panniculos tum alios tum tegumenta foetus. Ex proprio uero foetus sanguine generatur ipsa caro, & si quæ carnosa sunt, uelut cor, hepar & pulmo. Deinde uero omnia hæc simul uegetantur sanguine menstruo per umbilici uenulas attracto, quæ ex uenarum orificijs in matricem directæ obseruantur. Quæ omnia distincte ab ipso conceptu usq; ad decimum octauum diem primi mensis fiunt, quo tempore semen dicitur. Deinceps uero foetus

Fetus. tus & dici & esse incipit, quod ueteres quidam his etiā carminibus complexi sunt.
Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine trini.

Bisfeni carnē, terseni membra figurant.


Et aliter.

Iniectum semen, sex primis certe diebus

Est quasi lac; reliquisq; no- uem fit sanguis; at inde Cōsolidat duodena dies; bis nona deinceps

Effigiat: tempusq; sequens producit ad ortum.

Talis enim prædicto tempore figura confit.



C A P V T VI.

De nutrimento foetus in utero, quibus alimentis alatur, et quando in infantem excrefcit.



DV M in utero foetus est, attracto per umbilicū fouetur sanguine, quo fit ut post conceptum menstrua mulieribus fluere desinant. Foetus enim tum appetere multūq; sanguinis attrahere incipit. Sanguis autem mox à conceptu triplici discrimine discernitur. Primam & purissimā eius partem foetus pro alimento attrahit. Secundam minus puram & tenuem sursum matrix per uenas quasdam ad ubera propellit, ubi in lac transit, quo iam natus nutriatur infans; eoq; fit ut meatus quidam à matrice sursum ad ubera tendāt, ut sequenti libro in demonstratione patebit anatomica. Tertia & impurissima sanguinis pars in matrice remanet,

Tria sanguinis menstrui discrimina post conceptum Lactis generatio.

net, & cū secundina in partu & post partum effluit. Inde est quod Hippocrates multum affinitatis inter lac & menstrua esse dicat, cum illud ex his fieri contingat. Galenus etiam huius rei gratia eleganter monet, infantem plus ex matre quàm à patre habere, eo quod primū femina menstruū augeatur, mox his in utero nutriatur foetus, rursus natus alatur lacte: & quemadmodū quævis stirpes plus ex terra quàm parente planta habēt, ita infantes plus ex genitrice. Hinc etiam fieri ait, quòd tanto plus matribus tribuatur, quanto plura ipsæ dederint.

Ceterum formatus iam & perfectus in utero infans, primo mense urinā per umbilici meatus emittet: postremo autem mense, occluso eo ductu, per pudenda, ut supra in 3. cap. de tribus panniculis est demonstratū. Per anum autē dum in utero est nihil excernit, quia per os nullum adhuc alimentū atraxit. Post 45. diem Hippocrate monente uitam accipit, & cum hac animam diuinitus infusam, multorū iudicio, ita ut tum sentire incipiat. Ab eoq; tempore nō foetus porro, sed infans & dici & esse, hac forma, incipit.



L I B E R I.

*Motus tem-
pus.* Licet uero hoc tēpore sentire possit, motu tamen ca-
ret, utpote tener adhuc admodum. De motus autē tem-
pore scitē Hippocrates sic monet, Si duplo accipias à
conceptu dies, motum deprehendes. Motus autem nu-
merus triplicatus, indicabit diem partus. Exempli gra-
tia. Si 45. diebus formatus fuerit infans, 90. die se mo-
uebit, qui dies mediū tempus est latentis in utero; no-
no uero mense prodibit & ad partum festinabit, quan-
quam puellæ decimo demum mense plerunq; nascan-
tur. Et hæc de formatione, incremento & perfectione
pro ratione dierum & temporum.

L I B R I P R I M I
F I N I S.

LIBER SE- CVNDVS.

DE MATRICE ET EIVS
partibus; nec non de conditione in-
fantis in utero, & grauidarum
cura & officio.

C A P V T I.


*Quàm necessarium sit, matricis anatomen huic operi
inferere.*



F T I A M S I pro materiæ & operis ratio-
ne, huius capituli tractatio facile omitti
posset, circumstantiæ tamen (quia de
prægnantibus res est) hanc non imme-
rito postulare uidentur. In quauis e-
nim re, obiecta plurimum docere, sensus
ad percipiendam rei certitudinem plurimum ex-
citare, rudioresque ex his plura posse assequi, nemo est
qui nesciat. Vt enim cæcus, quia luminis orbis est,
nihil artificiosum dabit; ita nec obstetrix harum igno-
ra præceptionum in dubijs casibus se expedire pote-
rit. Quomodo solabitur hæc alías quæ propter igno-
rantiam ipsa formidolosior extiterit; quomodo infanti
opem feret, quæ nec partus signa nec prolis conditio-
nem & situm nouerit; quomodo parturienti, cui com-
moda præcepta ignorantia causa dare non possit; Non
ibi consilium, non ibi auxilium. Ergo quemadmo-
dum in speculo quauis obseruantur, ita in hac tracta-
tione summe necessaria præcepta percipiuntur, quæ


L I B E R

huic negotio et curæ cum primis feruūt. Ea causa moti,
hanc ex celeberrimi doctissimiq; Andrea Vesalij Ana-
tome foeminei corporis figurā cum matrice et alijs uteri
partibus proferre uoluimus, ut hac ceu speculo quot-
quot prægnañtibus inseruiunt utantur utiliter.



L I B E R

Cæterum quia in intestinis foeminei & uirilis corporis nihil existit discriminis, nisi in genitalibus & uasis spermaticis tantum, sigillatim illa pro nostræ tractationis ratione distinguimus, & matricē cum orificio colli sui, annexis poris ureteribus, & tota eiusdem structura, sequenti figura spectandam proponimus.




15

d

L I B E R

Sequens uero figura uterū ipsum resecto collo, cum occluso matricis ostendit orificio, intra quod conceptū formatur & ad partus usq; horam detinetur semen. Ea ipsa uesicam quoq; à collo resectam simul adumbrat. Singula autē literis et characteribus signare superfluum duximus, quia in Anatomicorū libris hæc passim extāt.



d 2

De Matricis substantia, forma, qualitibus, & partibus
annexis.

MATRIX membrum foemineo sexui propriū, conditum est à natura seminis. receptaculum, in quo conceptum retineatur, usq; dum ad iustam corporis formam excreuerit. Forma huius quadrata, simul tandem rotunda est, uesicæ non absimilis. Partes huius duæ sunt. Prior, receptaculum, concauitas siue sinus, cuius substantia neruosa, ex neruis, ligamentis & carne mixta confusis, unius tunicæ, sensu exiguo prædita, arcto meatu constricta, naturalis sibi humoris recipiendi, alterandi & diuidendi appetens. Ea pars matrix dicitur uel genitale membrum, in quo semen concipitur & formatur. Huius meatus & porta post conceptum tam arctè constringitur, ut hanc ne acus quidem sine periculo penetrare possit, quod certissimum conceptus signum est. Non recluditur etiam hic meatus, nisi in conceptu, coitu, partu & menstruis purgationibus. Posterior, ceruix siue collum dicitur, lacertosa, quasi cartilaginea carne constans, non sine pinguedine tamen, superius rugam habens, & per se fati sensibilis existens. Ea pars pudenda dicitur, in quarum apice duo labra sunt, præputia dicta, quibus uterus et pudenda teguntur, & contra subeuntem cõmuniuntur aerem. Circa fundum huius partis sub osse sacro uesicæ collū & urinæ meatus cernitur, quibus & colon subest. In media parte colli matricis panniculus uirginalis est, tenuissimo reticulo nõ absimilis, multis cõtextus fibris, cuius corruptio, uirginitatis est diminutio. Hunc alij eugion, centonem & hymena uocāt. Porro in hac eadem parte

*Matricis
forma.*

*Partes.
Receptacu-
lum.*

*Collū uel
ceruix.*

Hymen.

parte à dextra & sinistra duo cornua prominent, liga- ^{Cornua si-}
 menta maricis dicta, quibus et firmatur & ab utraq; parte ^{ue ligamen-}
 spinæ dorsī affixa hæret. Ligamentis illis & testiculi, sua ^{ta.}
 natura minores & duriores quàm uirorū, annexi sunt. ^{Testiculi.}

Vtraq; autē hæc albis & tenuibus nervis, uasis inquam
 seminalibus, cincta sunt, ex arterijs compacta. His ite-
 dem uenulæ ex uena caua ductæ affixæ sunt, per uarios
 ramos in matricem diffusæ, ad uegetandum foetum in
 utero, & menses suo tempore reddendos. Renes liga- ^{Renes.}
 mentis quibusdam pone spinam dorsī utero appendēt,
 calidi & sicci temperamentī, per quos omnis ex uenis
 in uesicam deferendā attrahitur colaturq; aquosa humi-
 ditas. Mammæ, frigidæ & humidæ qualitatis, uenis & ^{Mammæ.}
 arterijs intertextæ, spongiæ non absimiles, molli carne
 pulmonis instar constantes, sanguinem dealbandi & in
 lac conuertendi uim habent. Vt enim hepar attractum
 chylum in sanguinem, ita mammæ sanguinem ipsū
 in lac transmutant. A mammis porro in matricem duæ
 uenæ descendunt, quæ sanguinem illinc in lac mutan-
 dum hauriunt. Quo fit ut nato infante, menstrua statim
 his meatibus ascendant, & in lac transire incipiant, nec
 non mulierum tumescant & indurentur ubera, donec
 lactando papillæ laxatæ sint.

Quia non parum matricis qualitates cognouisse iu- ^{Qualitates}
 uat, eas breuiter his notis obseruare poteris. Calidam ^{matricis.}
 in ijs, quibus pulsus uelox, sitis frequens, urina colore
 intensa, amor Veneris, delectatio cita, sperma copio-
 sum, pilī crispantes, menstrua ad colorem subflauum
 declinantia, tertiumq; diem nō excedentia. Frigidam,
 quibus pulsus tardus, sitis rara, urina tenuis & alba, nul-
 lus amor Veneris, semen paucū, delectatio nulla, igna-
 uia socors, pilorum paucitas, menstrua ad albedinem.

declinantia. Siccam, quibus pulsus durus, urinate-
nuiis, labia sicca, delectatio pauca, menstrua rara. Hu-
midam, quibus pulsus mollis, urina spissa, labia lubrica,
delectatio nulla. Et hoc modo simplices qualitates co-
gnoscuntur. De compositis uel mixtis aliud est iudiciũ.

C A P V T III.

Quantæ utilitatis sit exactam huius tractationis tenere notitiã.



- B**ILIGENTER Lectorem hic monitum esse
uelim, probè æstimare quãtæ utilitatis sit exa-
ctam huius tractationis tenuisse notitiã. Quid
enim sanitati omnibusq; humani corporis partibus, &
tuendis & restituendis, hac notitiã magis accommodũ?
Quid animos formabit melius, quàm tam eximie stru-
cturæ consyderasse finem? Quid iucundum atq; deco-
rum magis quàm propriæ naturæ corporisq;, quod usq;
incolimus, tam artificiosam tenuisse formaturam? Par-
tium etiam harum proportio consyderata, sobrietatis
iubebit esse memores, ne plus æquo repletis illis, debita
concoctio perfici nequeat. Cum primum enim prima
concoctio naturaliter non procedit, mox etiam omnes
fallunt aliæ: quo fit, ut corruptis humoribus infectoq;
sanguine repleatur corpus, maximisq; detur morbis
ocasio. Genitalium item membrorum & uasorum
seminalium abstrusa & tortuosa conditio situsq;, quid
aliud quàm temperantiæ documenta præbent? ut ea
propagando humano generi tantum, releuandisq; cor-
poribus & tuendæ sanitati seruiant. Nec dubiũ, ea ipsa
causa naturaliter quoq; humani generis uiribus dero-
gatum esse, porròq; derogari plurimũ, propter immo-
deratum harum partium usum. Quid quod diligenter
perpensa harum rerum structura, & mirabili naturæ in
perficiendo

perficiendo homine artificio, nostri quoq; nunquã non admonemur officij: ut quantum in nobis est diligenter conseruemus, quæ tanto negotio uix dum natura produxit; & charitatis memores, non in ea mutuo fauimus, quæ natura communi parente procreata possidemus corpora, eadem unius corporis uariorũ membrorum compage perpensa, quam in uno corpore natura quàm optime finxit & sociali lege cõstrinxit. Et quod summum est, ex tam artificiosa nostri corporis structura profundissimam Dei sapiẽtiã, bonitatemq; stupendam, nec non proprię conditionis finem, illius inquam gloriam nostramq; salutem agnoscere, & summa gratitudine tanto conditori nunquam non respondere, monemur ac discimus.

C A P V T IIII.

De Conditione infantis in utero, & grauidarum cura & officio.



ONCEPTVM semen usq; ad 45. diem in iusti infantis formam mutatur, & tũc quorundam doctorum iudicio uitam accipit, eoq; non factus porro, sed infans dici debet, licet motu ob mirẽ tenebram conditionem adhuc careat. Tenero enim tunc arborum flori simillimus est, qui quauis aura pluuiãq; facile deicitur: eaq; de causa summa cautione opus est ne quid periculi grauidis aliquo modo contingat, uel meturepentino, terriculamentis, incendijs, fulgure, fulminibus, monstruosis hominum bestiarumq; aspectibus, gaudio, dolore, mœrore q; nimio; uel nimio exercitio motuq; currendi, saltandi, equitandi; uel repletionem ex cibo potuq; uel ne correpta morbo aliquo, acutioribus utantur medicaminibus imperitorum usã medicorum

*Infans quã
do dicatur.*

Cura grauidarum.

consilio. Rursum ne malis uetularum, ueneficarum & scortorum utantur artibus, quarum & tollendarum & puniendarum cura in primis magistratibus, utpote plebis patribus, debebat esse propria. Quot enim uirgines, quot item uiduæ his implicitæ artibus scelerata dedere infanticidia? Sed è multis pauca commemorabo, quibus longo admodum tempore pestes illæ per totum orbem liberrimè usæ sunt, reliqua reliquis æstimanda relinquam, saltem maleficis harum artibus proditis aliquantulum. Cum primum compressæ aliquam in se mutationem fieri animaduuerint, ueluti appetitus uarios, cibi potusq; soliti fastidium, uomitus continuos, nauseas matutinas, passiones cordis, deliquia, dentium dolores: statim malis instructæ artibus arctissimè se precipiendo prima experimenta faciunt, ut foetum in utero conceptum extinguant. Sed cum nullam inde opem senserint, maiora tentant, dæmonis instinctu maleficam aliquam accedentes uetulam, his morbis curandis egregie instructam, & longa experientia famosam, rogantes de menstruorum retentorum cura, petentes hæc sciendi medicamen & consilium: ea enim retenta parere dolores in præcordiis & femoribus, multosq; ciere uomitus. Malefica rei nõ ignara uetula, pharmaca iubet à pharmacopolis petere, nec non aliunde quasdam herbas colligere, monendo, ut his in uino utantur, alijs suffiantur, alias calceis imponant, alijs quotidie mane & uesperis aqua decoctis pedes & crura abluant: de nonnullis etiam decoctis mane & uesperis bibant. Sed cum nec hæc cura prodest, uenas in utroq; pede aperire monet, quo facto, statim perit quod in utero conceptum fuerat. Hæc obseruantibus interdum patribus & matribus familiâs, nec non etiam quibusdam alijs, & quod res est


certo

Artes &
acta scortorum &
ueneficarum.

certò conſcientibus, mox tormina uentris, dolores pe-
 ctoris & capitis prætexunt, & quod res eſt diſſimulant.
 Redeuntibus uero menſtruis quando ſe foetu norunt
 eſſe liberæ, alijs quoq; eaſdem artes communicant, ut
 eò plura infanticidia fiant. Nonnullæ autem obſetri-
 ces etiam, nec non chirurgi & imperitiores medici, in-
 terdum plus nimium creduli tale quid magno malo con-
 ſulunt. Sed omnia hæc & obſeruare & præoccupare ſan-
 cti magiſtratus intereſt. Iam uero ad rem redeamus.

Poſt tertium & quartum à conceptu menſem moue-
 re ſe in utero infans, & aliquantulum explicare incipit,
 arcumq; ſuum domiciliũ in latius diducere, quo fit
 ut turgere uterus, & in longum, latum & profundum
 diduci incipiat. Sub partus autem tempus facie uerſus
 genua propendet, utraq; crura attrahit, ambas ſuper ge-
 nua manus abiicit, naribus in medio poſitis, in globi
 modum conuolutus, anteriori parte tergum matris re-
 ſpiciens, poſteriore uero uentri matris obuertens. Et
 licet quidam Anatomici diuerſum ſentiant, nos tamen
 uti non rara experientia deprehendimus ſubiecta figu-
 ra ſpectandum proponimus.

*Motus in-
 fantis in
 utero.*



Quomodo se infans in utero, quinto, sexto, septimo & octauo mense habeat, nec non de discrimine sexus & formarum.



O S T tertium & quartum mensem infans in utero uberiori alimēto utitur, eoq; uegetatur magis magisq;, donec pariendi tempus aduenit. Sciendum autem quando sexto mense natus fuerit, uitam naturaliter retinere non posse, eò quod (licet distincte formatus) nondum tamen iustæ perfectionis sit. Si uero septimo mense nascatur, uiuet facillime, quia tum satis perfectus existit. Quod uero octauo mense nati rarissime uiuere possunt, cum qui septimo nascantur plerumq; in uiuis maneant, non sine ratione sit. Septimo enim mense semper mouetur infans ad partum, quo tempore si tantarum uirium fuerit, ad partum pro-

Cur septimo mense natus infans possit uiuere.

dit; si non, in utero remanet, donec satis inualuerit, per duos inquam menses reliquos. Post eum motum mensis septimi si nō exeat, in alium se uteri locum transmouet, adeoq; eo motu debilitatur, ut si sequenti octauo mense ad partum procedat, uiuere propter eum motum omnino nequeat. Neque enim sola hac, sed duplici motione infans ad mortem debilitatur. Primo, quando post motum septimi mensis octauo mense nascitur, uti

Duo latissimi motus infantium.

modo diximus. Deinde, quia (pro astrorum ratione) septimus quisq; mensis noxium & damnosum cuiq; foetui motum parit, Sole inquam eo tempore semper in opposito signo stante; & quod octauus mensis Saturno proprius sit, hosti omnium quæ uitam accipiunt.

Sciendum item masculos in dextro matricis concipi latere ex uberiori femine, ex dextro uiri testiculo pro-

Discrimen sexus.

deunte; foemellas autem in sinistro, ex sinistri testiculi

semine. Dextrū enim latus propter hepar calidius est, sinistrum uerò frigidius. Prīncipaliter autem uberior feminis caliditas masculis progenerandis causa est.

*Similitudo
formæ cum
parentibus.*

Quod etiā pueri parentibus suis interdum similitudine formæ respōdent, idem uirtute seminis fit, ut cuius semen uirtute plurimum superat, infans ei magis forma respondeat. Sed & hic astrorum motus aliquid posse creditur, ut quando semen sub bonis planetarum concipitur aspectibus, egregiam hoc formam: quando uero malis, tetram uicissim conciliet. Et hæc quidē hactenus.

C A P V T VI.

De præceptis quibusdam, prægnantibus usq; ad partus horam ad uarios casus admodum necessarijs.



DE INCEP S salutaria & necessaria aliq̄t prægnantibus præcepta dabimus, quibus instructæ certò sciant, q̄modo se à conceptu ad partum usq; gerant, ne quid illis periculi eueniat, aut præceptorum negligentia difficilem sibi partum faciant.

1. Ante omnia hilarī sint animo, luctu & curis ne conficiantur, gaudijs mediocribus dent operam. Hæc enim & infantem exhilarant, & facultates foetus omnes excitant & in membris eius confirmāt, ut ex 3. cap. constat.
2. Deinde omni motu uehementi ac laboribus difficilibus abstineant, & modico utantur exercitio, subito non exiliant aut assurgant: non currant etiā, neq; saltitent, nec equitent, neq; se comprimāt aut coarctent, aut onus aliquod maius subleuent. Somnus quidem illis apprime conuenit.
3. Rursum, frigidiores & asperiores uentos, ætus magnos, iram, animi perturbationes, terrores, Venerē nimiam, & omnē edendi & bibēdi intemperantiā caueāt;
Vicius

Victus grauidarū frugalis & mediocris sit, crudioribus & crassis cibus, qui facile concoqui nequeunt, abstineant: puta, lentibus, fabis, milio, carne bubula, salsa, & frīxa, frugibus, lacte, caseo & similibus. Utantur autem gallinarum pullis, ouis, pulmentis varijs, auibus; ouilla & uitulina carne. Proderit interdum & cinamomo & myristica nuce cum saccaro uti. Pro potu uinum album mediocre feruiat.

Primis quatuor à conceptu mensibus (Hippocrate monente) uenas non aperiant, cucurbitulis & scarificatione abstineant, catapotia nulla sine periti medici consilio sumant. Eo enim tempore foetus ligamenta adhuc admodum mollia & debilia sunt, eoq̄ facile foetus destruitur, & alimentum illi subtrahitur.

Quod si contigerit praegnantium aluum duram fieri, spinachiam non paucobutyro conditam, lactucas etiā aqua mollitas, cum sale, uino & aceto sumant. Quae si aluum nō laxauerint, suppositorijs utantur ex melle & uitello, uel sapone Veneto confectis. Si uero tanta constipatio fuerit ut nec illa cura profutura sit, consilio periti medici potione ex decoctione foliorum senae unā cum cassia nouiter extracta utatur, quam medicus pro constipationis ratione semper aut plus aut minus praebere poterit.

Quod si cum grauibus symptomatis conceperint, & post conceptum usq̄ syncopam passae fuerint, bibenda erit aqua acetosae & rosarum calefacta, mixta cinamomo & tabulis quibus Manus Christi nomē est, uel Diamargariton. Vel aqua rosarum & buglossae cum paucocinamomo, caryophyllis & croco tritis permixta, in panno aliquoties complicato ea aqua merso tanquam epithema pectori erit imponenda.

8. Quod si ante tempus parituræ uidentur, ueluti men-
se septimo aut alio immaturo tempore, & iam pariendi
dolores senserint, concitatos, uel propter nimium ali-
quod exercitium, uel propter alui duræ compressionē,
uel propter febrim aut morbum alium aliquem: super
prunas ex thure suffitum excipiāt. Hoc enim fecisse, &
matrici & infanti non parum addit uirium. Deinde an-
teriora abluant alumine, gallis & consolida maiore in
aqua pluuiali, uino & aceto decoctis. Quod si propter
syncopam infirmiores futuræ sint, Diamargariton uel
manus Christi fumant, eo quo prius modo diximus.

9. Quod si cibi nausea illis obrepserit, uel cibum sum-
ptum concoquere nequeant, hoc Syrupo utantur.

℞ Syrupi malorum granatorum ʒ. j. f.

Musci,

Ligni aloes ana. ʒ. j.

Cinamomi ʒ. f. Miscē cum

Aquæ acetosæ ʒ. iij.

Fiat haustus.

Syrupum hunc quotidie ieiunæ bibant bene calidum.
Pro confortatione uentriculi etiam utantur hisce tabu-
lis. ℞ Confectionē Diambra mane & uesperis, sum-
ptoq; cibo itidem. Imponant etiam ori uentriculi se-
quens emplastrum.

℞ Mastiches,

Cinamomi,

Rosarum rubearum,

Saluiæ,

Menthæ,

Balaustij ana ʒ. f.

Olei de Cytonijs

Terebinthinæ q. f.

Fiat

Fiat emplastrum, de quo sume q. s. ad illinendam a-
lutā, latitudine & forma scuti, quod tegatur serico. Vel
hoc unguento utantur:

- ℞ Mastiches,
Lenthæ,
Thuris albi, æqualia pondera.

Trita singula oleo misceant communi, & os uentriculi
perungant.

Quod si per uteri gerendi tempus menstrua sense-
rint, lac dulce in quo chalybs extinctus sit parabunt, ex
eo bibent, comedent, pulmenta & offulas coquent. Su-
dare etiam his usæ rebus poterunt.

10.

- ℞ Plantaginis maioris,
Inulæ campanæ,
Pentaphylli,
Stercoris columbini,

Culmorum fabaceorum & auenæ, ana M. j.

Omnia in aqua simul decoquātur, & sudores euocētur
insidendo.

Sunt etiam nonnullæ quæ raro iusto tempore, sed ni-
mis cito & ante tempus pariant: eæ dum grauidæ sunt,
balnea pro pedibus & cruribus sibi parent, in quibus
quotidie una ante cœnam hora, & tribus post cœnam
horis rursus una desideant, & satis calefactæ crura cali-
dis pannis abstergant. Balnea autem talia erunt:

11.

- ℞ Saxifragiæ,
Chamæmeli,
Salis,
Anethi, ana M. j.

Vt etiam hoc electuario mane & cubitum ituræ po-
terunt. ℞ Electuarium lætificans, cum been albo &
rubeo tritis mixtum. In primis uero hoc (quod multa

experientia cognitum est) ualde proderit. & pelliculas ex uentriculo gallinarū extractas, has tritas, aliquot diebus mane unius floreni pondere cum uino ieiunæ sumant. Et hæc quidem generalia præcepta sunt, multis aptata casibus, ut singulis certò constet quomodo se à conceptu usq; ad partus horam gerere debeant, quorū notitia non tam utilis, quàm usus necessarius existit.

LIBER TER- TIVS.

DE PARTV, ET PARTV-
rientium infantiumq; om-
nifaria cura.

C A P V T I.

De legitimo partus tempore & forma, & parturientium doloribus.



NS T A N T E iam nono mense, infantis alimentum in utero deficere incipit, propter infantis ad quam excreuit magnitudinē. Iam enim magnus multo alimento indiget: quod quia sufficiens per uenulas & umbilicum poro attrahere nequit, magno impetu in utero mouetur, adeo ut ligamenta, uenulas cum tunicis quibus inuolutus est, secundinam inquam, cum duabus reliquis tunicis, de quibus supra dictum est, perrumpat, & pro huius figuræ

figuræ ratione se ad partum expediat.

Hac indicatione obstetrices & aliæ quæ interdum prægnantibus adsunt mulieres ueros partus dolores obseruent: qui re ipsa nihil aliud quam perfecti iam infantis impetus sunt, quibus impelluntur & rotantur, deorsumque ad inferiora exeundi gratia contendunt. Ruptis enim ex impetu membranis & reclusa matrice, humores diffluere incipiunt, quibus liberatus iam infans mox aerem sentit, & huius uitæ cupidus, exitum matricis uersus uoluitur, capite orificio matricis obuerso. Et hæc legitimi & maxime naturalis partus forma est, si caput primum ad exitum ducatur, deductis ad latera manibus et super coxas applicatis, uti præsens adiecta figura ostendit. Non naturalis autem partus dicitur, si harum conditionum aliqua defuerit. Curabit itaque obstetrix, ut



Partus dolores quid.




Naturalis partus qui.

maturè ad quemuis partum excipiendum, apto sedili, cultro, spongia, uinculis, calidoq; ex lilijs oleo, quo & parturientis uterum & manus suas commode perungat, instructa sit.

C A P V T II.

De obstetricum officio & apta sedilis forma.



VOD autem ipso partus tempore obstetricum officium sit, & quomodo actio ipsa procedat, deinceps dabimus. Primò tempus nôrit, & ueros

uteros dolores obseruet, prænantem etiã uerbis consoletur, nec non confirmet, & ad obsequendum hortetur alacriter. Reliquas simul præsentibus cohortetur itidem, in primis ad piã fundendas ad Deum preces, deinde ad facienda simul sua ut possunt officia. Quo facto ad se dile prænantem deducat, quod tali forma instructum esse debet.

Sedile ipsum semicycli forma sit, quatuor suffultum pedibus, fulcro à tergo aliquantulum retrorsum deducto, panno nigro subtus ad terram usq; propendẽte obductum, ea ratione, ut tecta sit parturiens, reliquãq; interdum, si necesse fuerit, mulieres ubiq; manus admouere possint. Sedes ipsa pannis munita & obducta sit, ne lædatur enitens mulier, aut infans alicubi propter dolores & motus matris forte impingens.


*Sedile quomodo
le sit.*

Postquam autem in sedili iam enixura pregnans confederit, obstetrix unam aliquam à tergo mulierem illi adhibeat, quæ prænantem comiter utroque brachio complexam teneat, & si opus sit, feruentibus doloribus & nitente prænante, uterum eius utraq; manu comprimat, deorsumq; aliquantulum infantem compellat. Alias uero duas à lateribus sistat, quæ nitentem & uerbis hortentur & ad opem quamcunq; paratæ adsint.

Hoc facto, obstetrix ipsa prona assideat, & manus suas uterumq; parturientis, oleo liliorum alborum, amygdalarum dulcium & adipe gallinæ mixto perungat. Hoc enim fecisse, multum his prodest quæ obestiores sunt & quarum pudenda arctiora, quibus item os matricis siccum, & quæ primo iam parturiunt. His & albumen ouis miscuisse contulerit.

Postremo omnibus hæc ad hunc modum præpara-

tis, pragnantem ad enitendum cohortari incipiat, manusq; ut debet comiter operi admoueat, digitis inquirendo infantis situm, eiq; dum dolores sunt commode uiam laxando, collumq; matricis ubi opus est cautè distendendo, & si qua infans constiterit aut impeditus fuerit, digitis percommode ex obliquo in directum deducendo, & ad facilem partum promouendo. Prodeuntem infantem apte excipiat, statimq; umbilicum relicta quatuor digitorū circiter longitudine, resecet, duploq; filo acriter constringat, quàm proxime ad uentrem infantis fieri poterit. Quo facto, diligentem secundinæ rationem habeat, hanc moueat & ad exitum sollicitet, matrice adhuc diducta & aperta, antequã restricta de nouo conuiueat. Vt autem in resecando umbilico diligens cura adhibeatur, tuniculas omnes uno nomine *Secunda.* secundas dictas, distinctè hac figura spectandas dare uolumus, quomodo in utero cohæreãt, & sese mutuo trahant. Secundina enim trium tunicarū panniculus est, totum inuoluens foetum, uenis & arterijs matrici affixus, per quas sanguinem pro nutrimento foetus attrahit, & attractum per umbilicum ad infantem dimittit.



Refe

Resecto umbilico lotoq̄ infante, siccus iam eius umbilicus puluere ex bolo armenia, sanguine draconis & myrrha confecto inspergi debet, pannoq̄ complicato imposito cōprimi. Hoc enim & sanguinis fluxui & alijs medetur casibus. Utendum etiam hoc puluere conuoluto iam umbilico, & reiectis ligamentis, Sic enim et probe sanatur & formatur egregie.

C A P V T I I I.

De naturalibus quibusdam præceptis, & medicaminibus partus morari & difficultatem alleuantibus.



QVONIAM de partus impedimentis releuandis hic erit tractatio, notandum ante omnia partum impediri dupliciter, naturaliter & non naturaliter. Quando non naturaliter impediri contigerit, procedendum erit iuxta præcepta sequenti quarto libro tradita. Quando autem naturaliter, præceptis hoc capite traditis erit utendum. Ante omnia tam perita rei existat obstetrix, ut quantum in ipsa est, omnia partus impedimēta commode declinet. Quod si autem partum impediri siccitate aut angustia colli matricis contigerit, ex elleboro aut pipere trito parturientis naribus inspirandum aliquantulum. Comprimentum item eius os, detinendus spiritus, prouocandumq̄ sternutamētum, quò spiritus deorsum compulsus infantem ad inferiora detrudat. Quò & hæc sequentia similiter faciunt. Bursa pastoris arida trita, in uino aut iusculo cicerum sumpta, ualde proderit. Item pars mellis unius coclearis mensura cum dupla aqua calida sumpta. Lac quoq̄ mulieris alterius cum artemisiæ coma mixtum, & calidum umbilico impositum. Nec non oleum laurinum in aqua calida aut iusculo cicerum sumptum.

Duplicia
impedimen
ta partus.

Quomodo
prouocan
dus partus

Hauftus. etiam piperis duo sumpta & partum & secundas impel-
lunt. Nostrum quo nos potissimum impedito partu &
deficientibus doloribus utimur medicamen hoc est.

℞ Trociscorum de myrrha ʒ. j.

Croci grana x.

Cinamomi ʒ. j.

Misce cum aquæ

Artemisiæ uel

Pulegij ʒ. ij.

& fiat haustus unus.

Pilulæ. Haustum hunc prægnans calidum sumat, quo sumpto
ad lectum unius circiter horæ spacio redeat, donec uim
huius experta de nouo excitatis doloribus surgēs ad la-
bores redeat. Si uero nec hoc profuturum sit, infans
autem præmissio capite ad partum impeditus adhuc hæ-
reat, mox harum pilularum septem præbendæ, quibus
sumptis rursus aliquantulum quiescat.

℞ Gumi Bdellij,

Myrrhæ,

Seminis sauinæ,

Styracis liquidæ, id est stactes,

Castorei,

Agarici, ana ʒ. f.

Diagridij grana vj.

Misce cum medulla cassiæ extracta q. f. & formentur
pilulæ ad modum cicerum. Duo hæc pharmaca ocyto-
cia omnibus ferè peritioribus medicis probantur & in
usu sunt.

Pessariū.

Pessariū etiam uti licebit, quod longitudine & crassi-
tudine digiti ex lana pura conficies, sericoq; obduces,
quod succo rute in quo scammonium dissolutum sit in-
tinctum, ritè adhibere poteris. Sunt quæ lapidem aqui-
linum

linum uel iaspidem à sinistra coxa appendant. Hæc si frustra tentata fuerint, eundo se aliquantulum prægnās exerceat, deinde hoc encathisimo utatur, balneo in quā ^{Encathisimus.} supra uentrem usq; ascendente.

℞ Althææ herbæ & radicis, M. vj.

Maluæ,

Chamæmelis,

Meliloti,

Apij, cuiusq; M. iiij.

Seminis lini,

Fœnogræci ana ℥ ij.

Foliorum lauri,

Lauendulæ ana M. ij.

Omnia hæc aqua bulliant, in quam prægnans insideat, aut spongias ea calida tinctas uentri & tergo imponat aliquoties. Quo sufficienter facta, calidis pannis foueatur, & ad lectum deducta hoc unguento ungetur. ^{Unguentum.}

℞ Amygdalarum dulcium,

Pinguedinis gallinæ,

Olei de lilijis,

Muscilaginis althææ ana ℥. s.

Misce cum cera q. s. & fiat unguentum. Proderunt hæc & ad secundas expellendas, ut sequenti capite docebitur. Hoc facta, offulam ex duorum ouorum uitellis cum uino ueteri decoctam, his speciebus mixtis, præbebis.

℞ Cinamomi ℥ s.

Corticum Cassiæ ℥ ij. (uel potius eò amplius cinamomi loco cassiæ, quam prorsus inutilem seplasiarj hodie ostendunt.)

Croci ℥ s.

Sauinæ,
 Betonicae,
 Capillorum Veneris,
 Dictamni,
 Fœnogræci,
 Baccarum lauri,
 Menthæ ana ʒ. j.
 Os de corde cerui,
 Margaritarum præparat.

Misce cum saccharo, & fiat puluis crassiusculus. Quod si ante infantem secundina prodeat, exitumq; infantis impediatur, refecanda ea fuerit, umbilicus uero ligandus, & pessarium subscriptum collo matricis inserendum.

℞ Bismaluxæ cum radicibus M. ij.

Artemisix M. j.

Rutæ ʒ j. s.

Fœnugræci

Seminis lini ana ʒ j.

Ficus numero x.

Misce & cum aqua q. s. decoctio fiat, cui percolatę addantur hæc:

Olei liliorum,

Olei lini, utriusq; ʒ ij.

Muscı granum j.

In hac decoctione madefactum pessarium collo matricis inseratur. Electuario etiam hoc mox utatur.

Electuarium.

℞ Myrrhæ,

Castorei,

Calami arom. ana ʒ. ij.

Cinamomi ʒ. j.

Croci ʒ s.

Macis,

Sauinæ

Sauinæ, ana ʒj.

Mellis despumati ℥s.

Electuarium confice cum aqua melissæ & artemisiæ, in quibus decocta sint

Fœnogræci,

Seminis lini,

Granorum iuniperi, ana

Cochleare unum.

Porro cum ex impedimentis talibus debilitata fuerit parturiens, pro confortatione illi in iusculo species Læa tificantis, uel Manus Christi perlati, aut Diamargariton præbendum.

C A P V T I I I I.

Quomodo secundæ moram facientes ad facilem exitum promouendæ sint.



SECUNDÆ nato iam infante multis modis im *Causæ im-*
 pediri possunt. Primo propter debilitatem *peditarum*
 matricis quæ ex impetu infantis & frequenti *secundarū.*
 eius motu contingit: item propter partus difficultatem, 1.
 nec non propter continuam matricis distensionem &
 restrictionem, quibus ad eò debilitatur, ut sua uirtute (si
 cuti alioquî natura solet,) secundas expellere nequeat.
 Deinde si secundæ matrici intus affixæ hæreant, quod 2.
 propter copiam humoris superflui in utero detenti sæ-
 pe fit, propter quam matrici his humoribus infestata se-
 cundæ facile agglutinantur. Hæ non aliter, quàm infer-
 ta obstetricis manu erunt reuellendæ. Tertio, si nato 3.
 infante statim omnes quæ in matrice sunt aquæ diffuât,
 quibus destitutæ secundæ siccantur, nec non matrix e-
 tiam & collum eius propter eam siccitatem asperiora
 fiunt. Aquæ enim illæ & infanti & secundis lubricam

- uiam præbere debebant: quare his elapsis, uterus oleis & succis intus & extra perungendus erit. Quarto, quando os matricis propter partus dolores intumescit, ut plerumque fit, nisi prouida cura hoc mali declinetur.
5. Quinto, quando in primo partu os matricis nimis adhuc est restrictum, Eandem ob causam, quando obesiores fuerint foeminae, infantem & secundas enituntur difficilius. Quando itaque moram aliquantulum quacunque de causa fecerint, omnem obstetrix impendet operam ut has ad exitum sollicitet. Ea enim retentio suffocatio-
Suffocatio matricis. nem parit, & mala plurima generat. Cum primū enim longius illic detenta fuerit, mox contabescere & foetere incipit, unde dirus foetor sursum ad uentriculum, cor, hepar & diaphragma, & per consequens ad cerebrum ascendit, unde mox dolores capitis, præcordiorum, imminutio spiritus, deliquia plurima & sudores frigidi proueniunt, ita ut periculum mortis, nec non apoplexia & epilepsia usque timenda sint. Non enim non potest sine malo maximo matrix in corpore contabescere. Dū uerò retentæ fuerint, omni ea mora cibo & potu conuenienti mulieres reficiendæ sunt, iisque addendum robur, ossulis inquam cum solis ouorum uitellis & uino ueteri cum saccharo decoctis, croco & cinamomo conspersis. Vel iusculis ex caponibus aut gallinis, itidem cinamomo & croco conditis. Suffitus deinde fient super prunas in uterum recipiendi, ex croco non trito, castoreo, myrrha & cinamomo, de singulis unius aut alterius fabæ pondere. Sit autem infra pannis obducta prægnans, ut fumus ad matricem tantum pertingat. Hoc tam diu fiat, donec suffitus ex speciebus illis defecerit. Deinde ex elleboro aut sternutatorio puluere aliquantulum naribus eius inspirandum, comprimendum os, detinen-
 dus

*Secunda
quomodo
solicita.*

Suffitus.

dus halitus, & sternutamentum, uti supra dictum, est
 prouocandum. Si uero neq; hæc impulerint, Cassiam
 (uel cinamomum potius) pondere nucis, crocum & ci-
 namomū duarum fabarū magnitudine, trita in iusculo
 rubeorum cicerū ebibēda porriges. At hoc non succe-
 dente, haustū supra cap. 3. descriptum calidum illi præ-
 be, post quem sumptum, cum quieuerit aliquantulum,
 nonnihil ex elleboro & opopanace, pura lana inuolu-
 tum, collo matricis inferatur; & sine dubio secundis bre-
 uī liberabitur. Tanta enim hoc uirtutis est, ut mortuos
 etiam infantes cum secundis efficaciter expellat. In hoc
 casu unguento Basilico matricem deungere pro expel-
 lendis secundis itidem non parum proderit. Horum
 si nullum eas expulerit, tantumq; periculi fuerit ut de
 uita parturientis desperandum sit, consentientibus ma-
 rito uel cognatis, pilulæ sequentis descriptionis septem *Pilulæ.*
 præbeantur, quibus sumptis lecto decumbat, donec ha-
 rum uirtus novos dolores concitaret & secundas expel-
 lere cœperit. Nam & hæc tantæ uirtutis sunt, ut mortuum
 infantem & secundas etiam simul expellere possint. Ni-
 hil tamen hic temere sine periti medici consilio fiat.

- R Castorei,
 Myrrhæ,
 Styracis liquidæ ana ʒ i.
 Corticis cassiæ, (uel cinamomi potius,)
 Aristolochiæ rotundæ Lugduno missæ, an. ʒ. f.
 Agarici ʒ. f.
 Diagridij grana vj.
 Croci,
 Sileris montani,
 Sauinæ ana grana iij.
 Opij Thebaici,

Assæ foetidæ ana granum j.

Misce cum Cassia extracta q. s. & formentur pilulæ ad modum cicerum, & ex his septem præbeantur cum aqua pullegij uel artemisiæ. *Emplastrum* etiam illud, si opus fuerit, umbilico imponatur, hoc modo parandũ. R̄ Colocynthidis decocti in aqua partem unam, & tantundem succi rutæ, quibus miscebis myrrham, semen lini, fœnogræcum, hordei farinam, cuiusq; cochlearium, decoquatur omnia simul; emplastrum autem ex his confectum toto uentri ab umbilico ad pudenda usq; imponatur. Probatum quidem aliquando hoc est, sed tamen illo non temere sine periti medici consilio erit utendum. Et hæc quidem de secundis educendis dicta sint.

C A P V T V.

De cura Puerperæ & Infantis recens nati.

Cura matris primo à partu tempore.



LIBERATA infante & secundis puerpera, obstetrix spongiã puram calida mersam sumat, ipsamq; in sedili adhuc desidentem leniter ubi opus est abluat, & si quid de matrice propendeat, oleis calidis rosarum, uiolarum uel chamæmeli deungat, & calidis pannis fotum in suum locum dirigat. Quo facto ad lectum deducatur, ubi locus satis temperatus sit, illic supina recumbat, crura exporrigat, & quantum satis est disiungat, reliqua corporis parte tam erecta, ut sedenti magis quam iacenti similis sit, quò si quid restat superflui, commodius diffluat. Quod si primis diebus nimis citò fluxus illi cessarint, ut sæpe fit, puluis ex elleboro aut pipere naribus singulis diebus semel aut iterum erit inspirandus, pro impellendo fluxu, pro ut uidebitur requirere necessitas. Quod si fluxus abundauerit, eoq; puerpera infirmior facta fuerit, multum quiescat, & sicioribus

cioribus cibis utatur, gallinis puta & caponibus elixatis & affatis, nec non quibusuis in sartagine tostis. Liquidioribus cibis omnibus absteineat: his enim fluxus abundantior fieret. Utatur & confectione Diatriasandalis, ea enim & confortat & restringit, buccella una aliquoties sumpta. Vel si placet sequenti puluere aut tragemate utatur cum pane supra prunas tosto & uino dulci madefacto:

℞ Specierum Dianthos,
 Diaplriris,
 Diamargariton,
 Diacaryophyl.
 Diagalangæ,
 Diatriasandalon, ana ʒ. f.
 Diamusci,
 Diambrae ana ʒ f.
 Sacchari q. f.

Misce, & fiat puluis siue tragema, & seruetur in scatula.

Infantem autem iam lotum & fasciis inuolutum antequam uel ubera fugat uel aliquem cibum sumat, matris in lecto decumbenti à sinistro latere cor prope adhibendum esse primo tempore multi dicunt. Naturaliter enim (ut persuasi sunt) omnes ab infante morbos matrem attrahere, & sine sui ipsius nocumento per fluxum uteri quicquid mali attraxerit rursus excernere. Præseruare enim hoc infantem per totam uitam à morbo comitiali & lepra. Singulis dum cibo & lacte diebus abstinet una hoc hora fieri uolunt. Eo ipso autem tempore sæpius infanti in os inferendi sunt coralli rubei præparati saccharo et butyro recēte mixti, quia & hij infantem à prædictis morbis usq; præseruant. Suspendantur etiã à collo eius & brachijs coralli rubei & grana Pæo=

*Cura infan-
tis recens
nati.*

nix, confortant enim, nec non hilarem ac uegetum faciunt. Et hæc de prima puerperæ & infantis post partum cura.

C A P V T VI.

Quomodo & quibus instrumentis impediti & mortui infantes producendi.



QVANDO QUIDEM matricis partes duæ sunt, quarum utraq; neruis, rugosa carne & obfiori spissitudine constat (uti supra cap. 3. monuimus) ieiendum est, interiorẽm eius partẽ, cuius porta insensibilis quasi et angustissima est, nec unquam nisi in coitu, mensruis & partu aperitur, tantam dilatationem admittere posse, ut producendo infanti facile sufficiat, sine omni & prolis & matris nocumento, si naturalis partus extiterit. Hanc autem uiam quando infans per se (uti aliàs natura solet) neq; inuenire, neq; aperire propter restrictionem interioris portæ, & propter claustra eius impedita, ualuerit, tunc obstetrix perunctis manibus digitos inserat, eamq; angustiam quàm commodissime poterit in latitudinem tantum diducat, in longitudinem uero nequaquam, ne ligamenta matricis rumpantur, & incurabilis moribus præcipitatio matricis sequatur, eius inquam inuersio, cum exitu & eminentia colli matricis. Itaq; obstetrix in dilatando interiorẽm partẽ antrorsum moueat, ut caput infantis quod proximum est inde se exerat, & in exteriorẽm partẽ, colli inquam matricis, prodeat. Nam modo dicta dilatatio interioris partis neq; matri neq; proli quicquam incommodare poterit, utpote quam & natura ipsa in facili partu sponte diducit, & post partum restringit iterum.

Quod si autẽ propter angustiam alterius partis, colli scilicet,

Præcipitatio matricis.

ſcilicet, infans prodire nequeat, ſed capite illic, reliqua vero corporis parte adhuc in interiori receptaculo hæreat (quod tamen ubi recte proceditur raro contingit) tunc ſciendum, exteriorẽ portam, genitalia inquam, magis diduci & dilatari poſſe, omneſq; partus difficultates facilius perpeti quàm receptaculum interius, eoq; obſtetrix ruruſum pro rei qualitate eam quoq; portam diducat latius, ut totus ad partum infans prodeat.

Quod ſi prædicta hæc nihil auxilij dederint, ita ut ſubinde immotus adhuc infans hæreat, omneſq; partus dolores ceſſauerint, ruruſum ad lectum de ducenda erit parturiens, & ſequentibus iuuanda medicaminibus, quæ talia ſunt ut & mortuos infantes, retentas ſecundas, abortus quoq; & molas expellere poſſint. Ante omnia, cum primum ad lectum deducta fuerit, ſequentem *Hauſtus.* hanc potionem fatiſ calidam ſumat, eaq; ſumpta omni alio cibo abſtineat, & uniuſ aut alteriuſ horæ ſpacio trāquilla quieſcat, donec huius uim & efficaciam egregie perſenſerit.

℞ Ficus inciſas viſ.
 Fœnogræci,
 Seminis artemiſiæ,
 Rutæ, ana ꝓ ij.
 Aquæ pulegij &
 Artemiſiæ ana ꝓ vi.

Fiat decoctio ad mediam partem, coletur, & colaturæ addantur

Trochiſcorum de myrrha ꝓ. j.
 Croci grana iij.
 Sacchari q. ſ.

Fiat hauſtus unus, & aromatizetur cū cinamomo q. ſ.
 Poſt prædictum quietis tempus ruruſum ad partum la-

Suffim. bores deduci poterit, ubi Suffimenta fient trochiscis ex his speciebus paulatim supra prunas iniectis, ita ut omnis fumus ad solam tantum matricem perueniat.

℞ Castorei,
Sulphuris,
Galbani,
Opopanacis,
Stercoris columbini
Assæ fœtidæ ana ʒ. ʒ. ʒ.

Misce cum succo Rutæ & fiant trochisci ad formam nucis auellanæ. His fumigia facere proderit.

Emplastrū Quod si nihil inde opis comparuerit, Emplastro hoc uentri imposito uti poterit:

℞ Galbani ʒ. ʒ. ʒ.
Colocynthidis sine granis ʒ. ʒ.
Succorum rutæ,
Artemisiæ,
Ceræ nouæ q. ʒ.
Fiat emplastrum.

Pessariū. Decocto hoc pannus liniatur latitudine uentris formatus, ut ab umbelico ad pudenda usq; & utrinq; ad latera pertingat: quod unius aut alterius, si ita opus sit, horæ spacio retineat. Vel Pessarium digiti magnitudine & longitudine ex lana confectum & serico obductum, sequenti decoctione madefactum, collo matricis inserendum & duabus illic horis relinquendum.

℞ Aristolochiæ rotundæ è Gallia aduectæ,
Saiuinae,
Colocynthidis sine granis,
Staphisagriæ,
Ellebori nigri ana ʒ. ʒ.


His tritis fiat pessarium cum succo rutæ q. ʒ.

Cæterum


Cæterum post omnia hæc adhibita, in primis uero si *Quando*
 obstetrix rite dilatatis matricis partibus uiam facere in- *& quomo-*
 fanti non ualuerit, omnino instrumenta his uisibus ac- *do instru-*
 commoda, erunt adhibenda. Quando autem necessitas *mētis uten-*
 horum usum postulauerit, prius uerbis confirmanda e- *dum.*
 rit misera parturiens, deinde expedienda instrumenta,
 & preces piæ ad Deum fundendæ: eoq; facto ita sedili
 infideat, ut anum quantum potest tergo sedilis obuer-
 tat, crura uero quàm maxime potest attrahat, & quàm
 late potest, opem ferentibus astantibus mulieribus reli-
 quis, diducat, ut commode obstetrix quod instrumen-
 tis erit agendum, exequi ualeat. Quod si alia ratio pla-
 cuerit, & commodior obstetrici uisa fuerit; ad lectum
 ipsam deducat, in quo, capite aliquantulum retrouerso,
 sublimius uero natibus surrectis, cruribusq; quantum
 potest attractis, decubat. Tum deuncto alterutro quod
 ex his placuerit instrumento, operari & progredi inci-
 piat. Vtraq; enim hæc deinceps descripta, ad aperi-
 dum, dilatandum & educendum præparata sunt.

h

Speculum matricis,



Apertorium,




Alterum ex instrumentis illis, apertorium inquam, *Apertorium*
unctum & compressum obstetrix leniter per collū ma-
tricis ad portam interiorem dirigat: quo sufficienter fa-
cto, utraq; manu apertorium infra comprimat, donec
quantum sufficit os matricis diduxerit. Vel si placet al-
tero instrumēto, Speculo inquam matricis, eodem mo *Speculum.*
do utatur, uti de apertorio modo dictum est. In hoc au-
tem uertebam toties circumuolui oportet, donec suffi-
cere propter dilatationem intellexeris. Eo autem mo-
do diducto matricis orificio, obstetrix manibus infan-
tem leniter apprehendat, & si possibile est cum secun-
dis educat. Vterum deinde parturientis abluat & per-
ungat, partu liberatam ad lectum deducat, atq; aromati-
bus, nec non cibo potuq; conuenienti quantum potest
reficiat, uti supra cap. 3. monuimus.


Hoc progressu etiam utendum erit cum omnibus
mortuis infantibus & molis, nec nō secundis quoq; ubi
nimium impeditę fuerint, quando necessitas ipsa talem
operationem & curam postulauerit.

Si fiat autem ut mortuus infans propter magnitudi- *Quomodo*
nem suam prædicto modo educi nequeat, uel secundæ *mortui in-*
manibus prehendi & educi non possint, curandum *fantes ex-*
tunc ut sequentibus instrumentis quicquid id fuerit, si- *trahendi.*
ne matris nocumento, comprehendatur, & prudenti
cura educatur.

Rostrum anatis.



Forceps longa & terfa.



Altero igitur ex his instrumentis, rostro inquam, e-mortuum infantem comprehendat, comprehensum dextra manu trahat, sinistra uerò portas utraq; antrorsum repellat, ne ligamenta rumpantur & præcipitatio matricis sequatur. In hoc casu, si postulauerit necessitas, huic instrumento forcipem qua dentes eruuntur adhibeas, uel depictam hic forcipem longam & tersam, qua ita utatur commodè, ut si possibile sit, id quod protrahendum est, educat facilliter.

Quod si contigerit etiam inflationem aliquam, uel concretum in præputijs matricis sub cute apparere sanguinem, ex partus laboribus & difficultate abortum, uenulis aut fibris ruptis propter dilatationem, ut fit, nimiam; uel interius tumor aliquis sanguineus enatus fuerit, quibus & infans & secundæ ante partum multum impediri solent: eum tumorem, siue ante siue post partum apparuerit, obstetrix, ubi materia tenuior & maturior uisa fuerit, puro cultello incidat, concretum sanguinem exprimat, & inflationem deprimat, quæ commaculata sunt abstergat, infantemq; si nondum natus fuerit ut poterit producat. Pessarium deinde sæpe inserat, oleo rosarum deungat, & quotidie donec sanata fuerit obliget. Eo enim modo & nos non semel in his casibus progressi sumus.

L I B E R
LIBER QVAV
T V S.

DE VARIETATIBVS
non naturalis partus, &
earundem curis.

QVANDOQV IDEM partus, qui contra naturam se exhibent,
multi sunt & in ijs casus uarij, de his sequenti libro dicemus, quomodo in-
quam, & quot modis contra naturam fiant, nec non qua opera & arte cur-
randi singuli, eo sine tantum, ut pericula eiusmodi partus agnoscantur citius,
& quantum fieri potest praeuocantur diligentius.

C A P V T I.

De prima forma non naturalis partus, & quomodo
ei subueniendum.



AEPE contin-
git hac ad-
scripta forma
infantem ad
partum ueni-
re, premissis inquã pedibus
manibusq; deorsum ad fe-
mora deductis. Eo casu au-
tem curabit obstetrix, ut o-
leo conuenientibusq; lini-
mentis instructa sit, exitũq;
infantis unguendo & demul-
cendo tantum iuuuet, ne re-
tro feratur, sed uti coepit ita
recte pergat. In primis au-
tem operam dabit, ut utraq;



infantis

infantis brachia deorsum porrecta, apprehendat, firmiterq̄ teneat, nec retrorsum reducere permittat, sed hoc ipso modo ad partum prodire cōpellat. Quod si autem infans hac forma prorumpēs, & propter magnitudinem suam & deducta per latera brachia, matricis angustia ita coarctetur, ut totus ad partum prorūpere nequeat, tum uterus parturientis cum infante oleis perungēdus erit, & elleborum parturienti pro impellendo partu naribus inspirandū, nec non uterus eius utraq̄ manu comprimēdus leniter, ne sursum uergat, sed ut oportet deorsum tendat, donec totus in lucem prodeat.

C A P V T II.

Secunda contra naturam partus forma quæ, & quo modo iuuanda.



ONTINGIT rursum in pedes aliquando partū procidere, manibus tamē non penes latera ad femora, ut in superiori forma, exporrectis, sed supra caput surrectis. Quod ubi fit, obstetrix nullo modo talem partum excipiet, nisi admodū paruus & gracilis infans, & diductū admodum matricis extiterit orificium, ut facilis exitus sine matris et infantis nocumento omnino sperādus sit; nec tamen eum prius excipiet, quin ante uterum & infantem dili-



genter perungat. Multo autem consultius erit & utrisq; salutaris, partum in uterum repellere, & ad legitimam formam conuertere, quod hoc modo fieri poterit. Supina in lecto reclinabit se parturiens, capite retro demisso, sublimioribus natibus: quo facto, obstetrix uentrem ipsius præcordia uersus mediocriter stringet, ut in uterum infantem ipsum repellat, & alia forma prodeundi occasionem ministret. Ante omnia autem curabit ut faciem infantis tergo matris obuertat, deinde infantis nates & crura umbilicum matris uersus eleuet, ut ad legitimum partum acceleret. Tutius experimētum in hoc casu non est, utpote in omnibus cōtra naturam uenientibus partibus, utilissimum.

C A P V T III.

Tertia non naturalis partus forma, quæ & quomodo iuuanda.



QUOD si uno tantum pede infantē prodire contigerit, brachijs quidem circa latera demissis, retrouerso autem ut figura habet pede altero, parturienti omnino non instandum, sed ad lectum deducenda uel aliàs reclināda erit, eoq; quo ante modo docuimus procedendum, ope aliarum quæ illi adiumenti gratia adfunt mulierum, remittendo inquam altero quoq; pede in uterum. Quo facto, aliquo-



ties se in lecto uoluitabit parturiens, capite demissior, natibus uerò sublimior recumbens, donec aliquantulum conuersus infans esse deprehenditur, tunc ad labores re ducenda & omni qua fieri potest ope iuuanda. Ea uolu tatio in omnibus similibus partibus fieri poterit, ubi inepto modo infans apparuerit. Interim ubi opus erit, potionibus quoq; & alijs medicaminibus supra positis erit reficienda & ad partum impellenda. Quod si au tem in hoc casu cōtigerit retrouersum illum pedem uo lutatione illa matrīs, aut alia obstetricis opera, directē ad partū exeri, statim curabit obstetrix ut cōprehensis bra chijs, aliās circa latera deductis, infantē q̄ potest produ cat commodē, eo quo in prima forma modo docuimus.

C A P V T I I I I.

De quarta non naturalis partus forma, & eius cura.

EVENIT interdum trāuerso modo ap parere infantem et in latus procidere, quod u bi fit, parturiēs neq; urgen da neq; hoc modo expeten dus infans. Sic enim infan tem nasci posse sine conuer sione aliqua, & natura & res ipsa impossibile esse o stendunt. Quocirca dabit operam obstetrix, ut ad le gitimā naturalis partus for mam infantem reuocet, sub mouendo inquam nates, & ad exitum dirigēdo caput.



Si hac non successerit, uoluntado sapius quid possit tentet, donec ad legitimam formam conuersus fuerit.

C A P V T V.

De quinta contra naturam partus forma, & eius cura.



QVOD si distortis pedibus atq; brachijs ad partum properare infantem contingat, obstetrix parturienti non instet, sed a sedili ad lectum deducat, ubi illius uterum predicta saepe forma recubentis retrouersus comprimatur, uel aliquoties uoluntari subeat, donec ad commodiorem formam infans conuersus fuerit. Si nihil hoc profuturum uidebitur, obstetrix utrunq; pedem in unum coniungat, manus uero circa latera si usquam potest deducat, & tutissimo quo poterit modo ad partum dirigat. Tutissima tamen uia fuerit, infantem in uterum conuerti & illic ad legitimam formam componi.



C A P V T VI.

De sexta forma, & eius auxilio.



QVOD si utroq; genu in partum infans prociderit, manibus circa femora demissis, obstetrix dextra inserta utrunq; genu sursum uersus impellat, donec pedes prorumpere contigerit, ibi tum sinistra

stra pedesprehendat, dextra uero manibus circa latera retentis, infantem ad exitum sollicitet. Hoc si non satis tutum fore uidebitur, ad lectum deducenda erit paruriens, ubi supra dicto modo reclinata, tandiu se uolubabit, donec ad meliorē partus formam infans conuersus fuerit.



C A P V T VII.

De forma septima, & quomodo iuuanda.



BI uero altera manu tantum ad partum infans prope rauerit; altero brachio circa latera deducto, pedibusque rite in uterum exporrectis, eum obstetrix nequaquam excipiet, neque ad partum ulterius procedere permittet, sed parturientem ad lectum deducat, ubi anu altius & capite demissius recumbere possit. Ibi tum uenter eius retrò leniter




stringendus ut infans in uterum recidat. Ipsa etiam obstetrix si opus sit, neq; sponte infans reciderit, inserta manu humeros eius reprimat, eminens uero brachium ad latus reducat, ut naturali forma in utero disponatur, & ad facilem partum possit prorumpere.

C A P V T V I I I .

De forma octaua, eiusq; cura.



MVLTVM periculosus est hic partus inter eos qui se contra naturam offerunt, cuius formam hic descriptam uides; dabit ergo operam obstetrix, ut summa cura adhibita totum hunc partum in uterum reuocet. Manus itaque primum cum parturientis utero perungat oleo, quia laboribus hic non paucis opus. Deinde si poterit inserta manu altera iuxta infantis brachia, humeros eius ita impellat ut totus in uterum recidat. Rursum uero ne ad eandem partus formam recurrat, inserta manu relapsi infantis brachia ad latera deducat, eoque modo ad naturalem formam redigat. Si hac non successerit, ad lectum deducenda parturiens, ubi post quietem habitam, eo modo uti prius tradidimus, est procedendum. Hoc si frustra fiat, neq; ad aliam formam mutatus sit, ad sedile reducenda, uterus uero eius mulierum astantium opera undiquaque & deorsum comprimendus, obstetrix



obstetrix autem peruncta matrice & utrisq; obujs bra-
chijs, illa in unum quantum potest coniugat, & eo mo-
do prorumpentem partum excipiat. Minus in hoc par-
tu periculi erit, si nihil in suo officio obstetrix remissior,
infans autem in partu gracilior extiterit.

C A P V T I X.

De forma nona, & eius cura.

QUOD si natibus ad
partum primo in-
fans pcciderit, ob-
stetrix uncta & inserta ma-
nu anum infantis subleuet,
& caput ad exitum uertat.
Festinandum in hoc casu
non est, ne in deteriore ali-
quam formam recidat. Ne-
que etiā possibile sic infan-
tem nasci posse sine summo
matris infantisq; detrimen-
to. Itaq; si inuerti inserta ma-
nu non possit, ad lectum de-
ducenda parturiens, ubi si
infirmior fuerit conuenien-
tibus reficienda est cibus, & iam saepe dicto proceden-
dum modo, donec commodioris partus forma uenerit.




C A P V T X.

De forma decima, eiusq; cura.



IT interdum ut inflexa ceruice se partus exhi-
beat, pronis ad partum humeris, retroerso
autem capite surrectisq; pedibus ac manibus.

Eo casu obstetrix retro sub-
mouebit infantis humeros,
ut capite primum compare
re possit. Facile enim hoc fie-
ri poterit, quia summotis ali-
quãtũ humeris, caput ori-
ficio matricis per se proximi-
mum fiet. Quod si aliter ten-
tanda res fuerit, ad lectũm
deducẽda reclinandaq; erit
parturiẽs, & p̄ceptis supra
traditis utendum.



C A P V T X I.

De forma undecima, eiusq; cura.



VANDO manibus
et pedibus simul ad
partum inclinãt in-
fans, cauendum ne quid ob
hanc difficultatem & infor-
mem speciem periculi acci-
dat. Obstetrix itaq; hoc agat
ut submouendis infantis oc-
cupata pedibus, caput appre-
hendat, & quantum potest
ad exitũ primo dirigat. Sub-
mouenda & brachia sunt, ni-
si sponte se ad latera deduxe-
rint. Hac si non successerit,
priori cõuersionis modo est
utendum.



C A P V T X I I .

De forma duodecima, atq; eius cura.

CONTRA priorē formam interdum fit, ut in pectus aliquādo partus procidat, retro manibus pedibusq; coniectis & auersis. Omnium periculossimus hic habetur, quapropter his præceptis hoc casu diligenter intēdendum. Primo manus suas & parturientis uterum perungat obstetrix, quo facto inferta manu brachia infantis requirat, eaq; prehensa, donec & caput apprehenderit firmiter teneat, omni cura in hoc adhibita ut caput ad exitum primo reuocet. Deinde brachia infantis submouebit, & ad latera diriget: hoc enim facto, & citius partus prorūpet & minus erit periculi. Postremo, si neutro horum infans educi poterit, tutissimum erit parturientem ad lectum deducere, & iam sæpe dicto modo procedere, si forte ad commodam partus formam ea mora se infans accommodet.



C A P V T X I I I .

De forma decimatertia, & eius cura.

VAE in simplici partu ratio est, eadē quoq; in gemino & trino esse obseruatur. Vt enim simplex partus unam tantum uere naturalem for



mam, plures uero nō naturales habet; ita geminus quoque. Itaq; quando cōtigerit naturali forma partum com parere geminū prēmīssis ad exitum capitibus, curabit obstetrix ut alterum ex his, qui claustris cōmodius ob uersari uidebitur, legitime excipiat; alterum autē, dum prior prodit, non dimittat, ne in uterū relapsus in aliam formam transeat, sed nato altero confestim & illum ut debet excipiat. Partus hic sine periculo leuior erit, quia prior infans uiam posteriori tam facit planam ut sine omni difficultate prodeat. Curandum item ut in gemino hoc partu Secundæ ad exitum maturè sollicitentur, ne uterus infantibus liberatus mox concidat, illasq; illic retentas magno malo detineat.

CAPVT

De forma decimaquarta, & eius cura.



NON naturalis gemini partus & hæc forma est, quam hac figura spectandam proponimus, obuersis scilicet ori matricis utriusq; infantis pedibus. Periculosus satis eiusmodi partus est, sed prudentia obstetricis corrigendus. Vterum itaq; parturientis perungat, ut eò leuior partui uia sit: quo facto, curabit ut alterius infantis brachia comprehendat, & ad latera deducta firmiter teneat, caputq; ad exitum leniter sollicitet. Eo nato, mox altero prehëso, procedat similiter. Quod si neutrius brachia apprehendere potuerit, ita ut foelicis partus bona spes non sit, ad priorem formam recurrendum, si forte ea quæ in lecto sit opera & conuersione citius infantes in lucem ædi possint.

De ultima non naturalis partus forma, & eius cura.



ALIA non naturalis gemini partus forma est, quā hic spectare licet, altero in quā infante in caput, altero uero in pedes demisso, quæ quidem ex naturali & non naturali partus genere composita est. Vbi uero duos se hoc modo infantes ostendere cōtigerit, obstetrix priorem in naturalem formam uersum primò educat, alterum uero in pedes demissum submouebit, & si fieri possit, reuocabit in uterū,



ut idem ille ad naturalis partus formam disponatur etiā. Quod si autem in meliorem formam cōuertī nequeat, manibus eius confestim apprehēsis ad exitum sollicitandus erit. Tutius tamen foret hunc ad naturalem conuerti formam, in quod obstetrix unguendo, dirigendo, submouendo, uoluendo & conuertendo diligentī incumbet opera, ne forte ex tali non naturalis partus forma offēdatur uterus, & inflationibus tumescant præputia, unde sine periculo partus non prodeat, aut impediatur diutius. Quæ quidem pericula omnia, prouida cura aut declinari aut ad minimum aliquatenus corrigi possunt.

Q V I N T V S . . 38
LIBER QVIN
T V S.

DE MOLA ALIISQVE FALSIS
uteri tumoribus, simulq; de abortibus
& monstis diuersis, nec non de
conceptus signis uarijs.

C A P V T I.

De Mola, ceterisq; falso creditis conceptibus.



QVOTQVOT unquam de mola scripse- *Mola quid sit.*
runt, hanc impregnationē esse falsam di-
xerunt, quæ si quando ad partū ueniat,
informis carnis frusti similitudine pro-
deat. Hanc nonnulli à molon, quod ro-
tundum Grecis sonare dicunt, eo quod
ipsius quoq; forma rotunda sit, uel à Persico moli uoca-
bulo, quod illis informe quiddam uel rudem massam si-
gnificat, dictam uolūt. Vel potius, ut doctiores quidam
scribunt, quoniam induratus tumor ad tactum ferè lapi-
dosus, molæ lapidis instar, in utero sentiatur, siue toto, si
ue ostiolo tantum: unde motus difficultas mulieribus
hoc malo occupatis, tanquam graui pondere pressis, ac-
cedit: nam & Græci mylen, id est, molā appellant. Hanc *Vnde nascatur mola.*
autem informem massam Auerrois & Paulus Aegine-
ta ex debilitate utriusq; uirilī inquam & fœminei semi-
nis, generari perhibent; uel ex bonorum seminum cor-
ruptione, quæ circa primum conceptus tempus contin-
gat. Alij uero hanc ex menstruorum generari copīa di-
cunt, quia propter magnum matricis calorē interdum

coagulentur, & in informem carnis massam redigantur. Qui uero penitus rerum rimatur naturas, hanc copiosiori muliebri semini tribuunt, in libidinosioribus potissimum foeminis, quae ex siccioribus natura maritis minus concipientes seminis, matricis appetitu copiosius suum ipsarum semen cieant, quod menstruis auctum matricis calore coaguletur, & propter defectum uirilis seminis legitimi opificis, in talem massam concreascit. Non enim sine uirili semine quicquam generari potest, ut nec ex foemineo solo quicquam. Muliebri enim semen in utero conceptum uirile concludit tantum, unde tunicae quae in secundas postea transeunt, ex illo solummodo generari possunt. Et ut in ouo, ita hic quoque res habere cernitur. Vt enim ex albumine & uitello per se nihil generari potest nisi galli semen inspersum sit, licet multo maior horum praeter hoc semine existat copia: ita ex muliebri quoque solo nihil, nisi uirile semen accesserit. Quod si autem hoc paucius, mulieris uero copiosius fuerit, tunc menstruis aucta molam generare solent, quam quaedam quinto, sexto aut septimo demum anno, quaedam nunquam eniti possunt.

Falsi & uitiiosi conceptus. Multae praeterea aliae quoque falsae & uitiosae conceptiones sunt, ex quibus non tantum molae, sed aliae quaedam informes etiam figurae, mancae & mutilae ex defectu utriusque seminis itidem generari solent. Fit etiam ut uitio seminis noxia quaedam in matrice cum infantibus generentur animalia aut animalium formae: taceo alienas formas ex brutis, uti non semel factum, conceptas. Saepius etiam obseruamus quaedam quasi impraegnatas turgere, et tamen infantem nunquam eniti: eo quod tantopere liquida utraque simul concepta semina fuerint, ut ex defectu caloris matricis coagulari nequiverint: unde

unde fit ut ex tam diuersis conclusis humoribus postea sequatur hydrops.

Molæ autem generatio præ omnibus alijs tumoribus certa quædam quibus agnoscatur habet indicia. Et primo quidem quò ad corporis cõstitutionem, molam generanti tabescunt & mollescunt membra, torpor quidam inest, turgent cum oculis labia, pallidior est facies, durior tactu uenter tumidus, punctiões & tormina uentris plurima, retinētur menses, oculorum uertigo & caligatio molestat, pulsus cordis continuus, membrorum tremor, cibi nauſea, uomitus frequens & copiosus, maculæ in facie frequentiores, pupillæ oculorum eminentes, aspectus toruus. Quia autē ex his signis uero etiam cõceptui multa sunt communia, certum hîc discrimen est constituendum. Tot igitur modis molam à uero conceptu differre tenendum.

Primò, ubi menstrua comparuerint, mola in utero generari nequit, quia ex retentis mensuris & debiliori uirili semine nascitur tantum.

2. Quando ante tertium mēsem post conceptum magna in utero motio contigerit, molæ indicium est. Tam citus enim motus in uero conceptu esse nequit.

3. In molæ generatione uterus tumet citius ac magis.

4. Alia quoq; infantis, alia uero molæ motus forma est. Infans enim ex latere in latus mouetur, mola nō itē.

5. Mola manu compressa, statim loco cedit, sed mox in eundem remota manu locum recurrit. Infans autem ut non cedit, sic neq; recurrit.

6. In molæ conceptu multò durior prægnātibus uenter existit, quàm ijs quæ infantem gestauerint.

7. Multo tardior est, magisq; torpida, quæ molam quàm quæ infantem conceperit.

8. Vbera in molæ conceptu non tam tumescunt ac durefcunt, quàm in conceptu infantis.

9. Membra in molæ generatione tabescunt & mollescunt, quod in infantis conceptu non fit.

10. Infantis partus ultra undecimum mensem ad summum differri nequit, molæ autem partus aliquando in quintum aut sextum annum, interdum etiam ad finem usq; uitæ.

*Discrimen
molæ ab
alijs uteri
tumouribus.*

Constituto tam certo inter molam & uerum conceptum discrimine, rursus eadem ab alijs quoq; falsis uteri discernenda est tumoribus. Fit enim ut multæ etiam tumescant, aut propter conclusum in utero aerem, unde tympanitis; aut propter diuersorum humorum retentorum copiam, unde hydrops oritur. Quæ autem ex concluso tumescunt aere, tumore ac duritie uteri eas superant quæ ex retentis turgent humoribus. Tympanitis etiam interdum cõcidit, recedit, & de loco mouetur in locum, nec sine doloribus sentitur; hydrops autem, id est, retenti humores, raro mouentur, sed continuo uentris sonitu perstrepuñt. Inter hos ipsos autem tumores & molam suum quoq; discrimen est. Nam in gestatione molæ multo durior existit uenter, quàm in istis tumoribus. In hydropse tumescunt crura, in mola uero minuuntur ac tabescunt. In tympanitide durior est uenter tympani instar resonans, in mola uero non item. Et hac ratione similium horum tumorum discrimina obseruari possunt, & quàm difficulter curari queant, intelligi.

C A P V T II.

De cura molæ & aliorum falsorum tumorum uteri.



IN cura molæ diæta ante omnia talis instituenda est, ut tota ad calidum & humidum declinet. Vbi etiam missione sanguinis opus fore uidebitur,

uidebitur, malleoli uena aperiat. Inde expurganda erit materia ea ratione qua deinceps in Retentione men-
struorum traditam uidebis. His praemissis ea quae inter-
ne purgant & curant, adhiberi quoque externa cura pos-
sunt. In primis autem encathismo utendum, in quo quae *Encathis-*
molam gestauerit singulis diebus mane & uesperis ua- *mus.*
cua uentriculo desubtus ad umbilicum usque infideat.
Balneum autem hoc sic erit parandum.

℞ Bismaluae cum radicibus M. vj.

Maluae,

Branca ursinae, (aut quoniam ea caret
regio nostra, herba uiolarum)

Parietariae,

Chamaemeli,

Meliloti ana M. ij.

Foenograci,

Seminis lini ana ℞ ij.

Contritris his quae conterenda sunt, sacco omnia conclu-
dantur, & in aqua cui egra infidebit, bulliant. Eum etiam
saccum bene calidum pudendis & lumbis imponere
perutile fuerit. Post balneum hoc calidis foueatur pan-
nis, & lecto decumbens, hoc circa pudenda & lumbos
unguento ungetur.

Unguentum

℞ Olei amygdalarum dulcium ℥ j. s.

De lilijs,

Pinguedinis gallinae,

Muscilagini sem. lini,

Foenograci ana ℥. s.

Cerae albae q. s.

Misce & fiat unguentum.

Electuario etiam sequente, magnitudine auellanae nu- *Electua-*
cis singulis diebus mane & uesperis utetur. *rium.*

℞ Cinamomi ʒ ij.
 Corticis aristolochiæ longæ,
 Cassiæ fistulæ, (uel eius loco potius
 cinamomi pondus augeatur) ana ʒ. j.
 Afari,
 Laccæ,
 Seminis rutæ,
 Fructus syluestris fauinæ,
 Croci ana ʒ. f.
 Sacchari ℥b. f.

Saccharum dissoluatur succo uel aqua rosmarini. Confectio in morsellis fiat. Electuarium hoc alia quoq; ratio ne illi præberi poterit, in offula inquam ex uino ueteri & duorum ouorum uitellis cum saccharo decocta, inspersa conueniente huius Electuarij dosi.

Pilulæ.

Pilulæ etiam sequentes mixte efficaces sunt, ex quibus sumat ʒ. f. uel ʒ. j.

℞ Nigellæ Romanæ,
 Aristolochiæ rotundæ,
 Dictamni Cretici,
 Seminis nasturtij,
 Syluestris fructus fauinæ,
 Serapini,
 Seminis rutæ,
 Ammoniaci thymiamatis,
 Rubææ tinctorum,
 Myrrhæ,
 Castorei, ana ʒ. j.

Fiant pilulæ cum succo syluestris raphani & melle. q. f.
 Dosis sit ʒ. j. uel ʒ. ij.

His factis suppositoria quoq; matrici inferenda, quæ molam impellant, & ex interiori receptaculo matricis
 in

in exterius prouocent, Erunt autem eiusmodi,

℞ Asphalti,
 Boracis,
 Castorei,
 Centaureæ maioris,
 Dictamni,
 Ellebori albi,
 Galbani,
 Gentianæ,
 Opopanacis,
 Sauiinæ,
 Serapini,
 Scammonij, ana ʒ. ſ.
 Croci ʒ j.

Trita omnia excipe succo porri, & fiat suppositorium.

Vt licebit interdum etiam Trochiscis de myrrha, de quibus ʒ. capite libri ʒ. dictum est. Nam & molam pelunt, & facilem exitum faciunt.

Cæterum in tumoribus qui ex concluso aere & retentis contingunt humoribus, diæta ita instituenda est, ut tota ad calidum & siccum declinet. Purgationes etiam & phlebotomiæ fieri poterunt pro qualitatum copia. Qui bus præmissis, encathismus præscripta forma parari poterit, additis insuper sequentibus.

*Tumores
 ex tympani
 ti & hydro
 pe quomo-
 do curadi.*

℞ Calaminthæ,
 Rutæ,
 Pulegij,
 Foliorum lauri,
 Absinthij sicci,
 Anisi,
 Marathri,
 Cymini, æqua portione singula. Similia quoque

eiufdem naturæ sumi plura poterunt, pro tumoribus
 minuendis ac reprimendis. Pars etiã modo dictarum
 herbarum facculo inferēda, & dum balneo infidet, lum
 bis imponenda erit. Post balneum ex confectiōne hac
 nucis auellane magnitudine, in uino albo ueteri sumat,
 in quo asarum prius infusum sit, quod sic fit.

℞ Specierum Diacurcumæ,
 Diacymini ana ʒ. iij.
 Sacchari albi ℥ s.

Saccharum dissoluatur in aqua rute, & fiat confectiō in
 tabulis uel morsellis. Vel si placet, potionem hanc cali
 dam sic confectam post balneum præbere poteris.

℞ Persicorum nucleos xx.
 nouiter excorticatos, quibus
 cum duorum ouorum uitellis
 contusis & mixtis addes pulue
 rem subscriptum.

℞ Galangæ,
 Cinamomi,
 Piperis longi,
 Zingiberis,
 Caryophyllorum,
 Croci,
 Nucis muscatæ ana ʒ. s. fiat puluis.

Horum omnium decoctio fiat cum uino optimo. Co
 lentur, & colaturæ addatur saccharum, fiatq; potio cla
 ra. Vel, quod magis placet, simplicium materia in de
 coctione maneat, & simul omnia calido potu sumatur.
 Multum profunt in hoc casu etiã species hieræ picræ
 in potu aliquo uel pilulis sumptæ.

Quando autem ex retentis diuersis humoribus tu
 mor extiterit, tum materia talibus remedijs expurgāda
 erit,

erit, qualibus in retentione menstruorum & ad urinam mouendam uti cōsueuimus, cuiusmodi hoc est. ℞ Se-
mina apij, anisi, fœniculi, petroselini, cardamomi & fo-
lia rutæ. Singula æquali pondere trita, cum uino dulci
bibantur. Probantur etiã hîc confectio Diagalange &
Electuariũ de baccis lauri: nec non olea rutæ, hyoscyã-
mi & liliorum alborum, cum Trochiscis de agarico.

Emplastrum etiã tale confici uentriq; tumido im- *Emplastrũ*
poni poterit.

℞ Seminis rutæ,
Nasturtij,
Cumini,
Centaureæ minoris,
Maioranæ,
Anisi,
Mentastri, ana M. j.

Incidantur & conquassentur omnia, fiatq; cum uino
emplastrum.

C A P V T I I I.

*De imperfectis infantibus, nec non monstris & prodigi-
osis partibus.*



VL TIFARIAM rerũ experientia temporumq;
testimonio fieri uidimus, monstra multa & im-
perfectos aut uarie figuratos infantes nasci. Id
autem cum primis Dei iudicijs est adscribendum, dein-
de uero et seminis uitium, unde hæc enata, agnoscendũ,
utpote quod aut nimium abundans, aut nimis paucum,
aut corruptum extiterit. Harum autem formarum dein-
ceps aliquot figuras dabimus, non ut omnia compre-
hendamus, sed ut ex paucis aliquam iudiciorũ dei per
uaria contra naturam monstra ueluti prognostica, co-

gnitionem proponamus, & quantum referat semini ut
tium inesse uideamus.



1. Natos infantes tales uidimus, defectu mēbrorum
mutilos, manibus inquam aut pedibus carentes, iusta
alioqui & perfecta totius corporis forma: quod imper-
fecto semini tribuendum dicimus.

2. Natus




2. Natus est qui brachijs in uniuersum careret, reli-
qua corporis forma rectissime habens. Pedes huius ma-
nuum quoq; officio fungi uidimus, arripiendo, secādo,
ori inferendo, nec non etiam alea & chartis ludendo.
Quod & alter quidam ore & mento præstare potuit.



3. Natus est etiam quidam & ad perfectam uiri statum excreuit, capite & humeris tantum geminus, ita ut caput alterum ante alterum retro esset, mira inter se similitudine. Barbis etiam & oculis sese referebant mutuo. Idem erat cibi appetitus, fames eadem, uox simillima, idem uxoris quam habebat, & excernendi utrisque capibus erat desiderium. Annum excedebat trigessimum, quando hunc uidere contigit.




4. Natus est etiam & in uirum excreuit, qui caput aliud umbilico exereret, quod pro more alterius quoque cibum caperet.



5. Scahusiæ Heluetiorum anno 1543. infantes duo nati sunt, coniuncto altero latere, capitibus duobus, brachijs quatuor, totidemq; pedibus, umbilico uno, foeminei sexus uterq;. Ex his alter mortuus in lucem prodijt, alter uero uiuus prodians, continuo expirauit. His per omnia similes alij quoq; anno 1553. in Einsidlen nati sunt.

6. Nati



6. Nati sunt etiam gemini pectoribus sibi affixis, & mutuo obuersis faciebus, uno umbilici constricti uinculo; alij rursus, tergoribus annexis, singillatim umbilici uinculis propendentibus. Vtraq; autem harum formarum distinctis membris uisa est, nullo deficiens, nullo etiam superans.



7. Nati sunt etiam quidam abundantibus membrorum partibus, ut alij membrís non rite formatis: alter quidē singulis pedibus manibusq; digitos habens duodecim, alter, retrouersis manibus & in obliquum transversis pedibus, recte aliás habentes.

8. Fit etiam interdum, ut aliquando duo uel tres, uel plures infantes, etiam uno tempore in matrice concipiuntur, & suo tempore, simul etiam, puta, alter post alterum in lucem prodeant, aliquando uero non uno tempore omnes, sed dilato mense uno aut altero. Quorum prius ex copia & efficacia utriusq; seminis fieri tenendum est: alterum autem ex diuersi temporis conceptu (quem superfœtationem uocant) id quod aliquando fieri facile natura patitur.

9. Anno

9. Anno 1519. Tiguri Hermaphroditus uel androgynos natus est, supra umbilicum egregie formatus, sed circa umbilicum rubeam carnis massam habens, sub qua membrum muliebrem, & infra hoc, loco conuenienti, uirile quoque.



10. Anno 1503. in Hassia infans quidam foeminei sexus bene distinctis membris natus est, nisi quod auribus, oculis & naribus in uniuersum careret, & in facie solum os haberet.






11. Anno 1529, in quodam Hercyniæ sylvæ superioris pago hac figura infans natus est, & in iustæ staturæ uirum excreuit, uniuersa corporis figura mas rectè habēs, nisi quod ubera haberet, & ex ipsius pectore corpus alterius propenderet, sine capite & humeris, brachiorum informem figuram protendens, manibus plus ad pedum quàm manuum formam accedentibus.

12. Anno

12. Anno 1552.
 in Angliā non pro-
 cul ab Oxoniā in-
 formis quidam par-
 tus natus est, capiti
 bus duobus, bra-
 chijs quatuor, ma-
 nibus totidem, uen-
 tre uno, membro
 muliebri, sede una.
 Ex una parte pe-
 des transuersi duo
 erant, ex altero u-
 nus tātum, rite ex-
 porrectus, forma
 duorum pedum, di-
 gitos habens decē.
 Horū alter diebus
 quīdecim, alter
 uero uno superuixit. Lachrymarunt hoc tempore raro.
 Alter ex his lætus admodum, alter uero somniculosus
 & tristis extitit. Viginti digitos transuersos erat longitu-
 do & latitudo ipsorum.



Quod si de causa eiusmodi conceptuum & partuum *Causa mō
 strorum.*
 quærat, quales hæcenus multos uidimus, sciendum
 ante omnia hæc sine Dei Opt. Max. prouidentia nõ fie-
 ri, sed pro puniendis & admonendis hominibus hæc sæ-
 pe iusto iudicio permitti. Nimum quoq; libidinis stu-
 diū in causam trahimus, quo fit ut humana semina ad-
 modum debilia & imperfecta fiant, unde debilē quoq;
 & imperfectum foetum sequi necesse est. Seminis enim
 defectu præcedente, consequens est foetus quoq; defe-

ctum consequi: et contra, si superfluum semē fuerit, ex superfluo superflua generari facile colligitur.


Quod si quando duo infantes in utero cōcreuerint, aliquādo fit hoc ex liquido & corrupto semine: aliquando uero terroribus alijsq; aduersis casibus, quibus fit ut gemelli in utero iam ante concepti, collidantur, ruptisq; feminibus concrecant aliquatenus. Vt enim pinguedo lactis, concreta licet, facili tamen aliquo motu turbatur & corrumpitur, & arborum flores quouis uento & imbre deijciuntur citius: ita concepta quoq; semina facili casu ut diffluant corrumpi possunt, ut diffluendo aut omnino misceantur, aut saltem aliquatenus concrecant, unde informem aliquem partū sequi necesse est, quem primus author Deus sic formari ad pœnam & admonitionem hominum permittit.

13. Generantur etiā plurimi scissis labijs ad formam leporini oris, aut in una, aut utraq; labiorum parte, eorūq; malo succrescunt, quod ex terroribus aut subitaneis aspectibus leporum, porcorum aut aliarum pecudum fieri tenendum est, subito hoc terrore conceptum semen afficiente. Ex appetitu rursus & terroribus multi nascuntur qui uarias maculas & figuras corpori impressas habeant, puta, crinium, murium, uariorum colorum, racemorum, flammarum, fructuū, rerumq; aliarum. Quæ quia quotidiana & crebra sunt, nolimus ea singulari figura complecti.

14. Contingit etiā generari quosdam & aliquosq; adolescere, de quibus inspicienti non constet cuiusnam sexus sint. Imperitiores, illos utriusq; sexus esse autumant, sed longe falluntur. Fit enim casu aliquo, ut ex terroribus subitis etiā circa hæc membra semen aliquid uitij contrahat. Exempli gratia. Contigit nobis talem offerri

offerri infantem, de quo non satis constaret cuiusnam sexus esset. Prominebant quidem testiculi, membrū præterea nullum. Infra testiculos ruptura erat, unde urina efflueret. Sed quia propter uirgæ prominētis defectum (nec enim tota aberat, sed intro conuersa ad modo dictam rupturam deflectebat) hanc natura urinæ uia dedit, non pro foemella nec androgyno, sed pro masculo hunc haberi & baptizari placuit. Fatebatur autē mater se ex uiso quodam adeo territam, ut hinc infanti hoc contractū esse conijceret. Cæterum quia quæ talia sunt intellectu magis quam oculis percipiuntur, nec huic peculiarem figuram effingere uoluimus. Sed nunc ad figuras redeamus.

15. Anno 1547. Craco uia mirabile sane monstrū natum est, quod & triduo uixit. Caput erat humanæ formæ non absimile, nisi quod flammescerēt oculi, nasus uero longus & aduncus tibiæ instar existeret. In membrorum iuncturis, ad ulnas, cubitos & genua, canina eminebant capita, manus pedesq; anserinis pedibus similes, oculi supra umbilicum duo. Cauda pecuina à tergo, hamū extremitate referens. Sexu erat masculus. Informis



autem huius monstri causas soli Deo transcribimus, & tamen pro nostræ rationis captu Sodomæ quoq; pecca

tum hoc monstro detestatum colligimus.

Quod ex brutis tam uariæ nascuntur formæ, minus mirum est, cum Plinius ideo in Africa tam uarias animalium tradat haberi formas, quod ex diuersis animalibus congressus & conceptus fiant.



13 In Saxonía circa initia prædicationis Lutheri, natum monstrum bouinis pedibus quatuor, oculis, ore na-
 soq; uitulum referens, supra caput carnem rubeam for-
 ma tonsuræ sacerdotalis habens, à tergo forma cucullæ
 monachicæ dependente. Vndiq; uero fissuris plenum
 uidebatur esse.

17. Ante annos aliquot in ditone Vuerdenberga monstrum foeminei sexus natum est, capitibus duobus, brachijs quatuor, pectore & uentre uno, pedibus duobus.



Natus est etiam alicubi infans masculini sexus capite elephantis. Et eodem tempore androgynos quispiã.



18. Arimini sine oculis & naso puer natus est. In agro Piceno, infans sine pedibus atq; manibus.



19. In Veienti agro puer natus est unimanus & biceps. Frusinone autē alius, biceps & brachijs duobus.

20. Theani




20. Theani Sidicini infans natus est manibus quatuor, pedibusque totidem, capite & ventre uno, binoculo membro foemineo. Priuerni autem puella quaedam sine brachijs nata, reliqua corporis parte rectissime constituta.



21. Amiterni puer natus brachio uno, pedibus tribus. Ibidem & alter quispiam, pedibus tribus, reliqua corporis forma rectè habens.



22. Romæ puella quædã quatuor nata pedibus. Nurfia autem puer quidam bene formatus, sed aperto uentre, ita ut nudum intestinum conspiceretur, circa nates uero solidus, qui mox emissa uoce expirauit.



23. Venafri puer natus tribus manibus totidemq; pedibus. Vulfinijs gemelli nati, tergis sibi affixi, capitibus duobus, brachijs quatuor, totidemq; pedibus, uterq; sexus foeminei.

24. Anno 1512. Rauene monstrum natū est, quod habebat cornu in capite, alas duas, brachia nulla, pedem unum ut auis rapax, oculum in genu, sexum utrunq;, in medio pectore ypsilon & crucis effigiem. Hoc aliqui sic interpretati sunt. Cornu portendere superbiam; alas, leuitatem & inconstantiam; carentiam brachiorum, defectum bonorum operum; pedem rapacem, rapinam, usuram et auaritiam omnimodam; o-



culum in genu, solum ad res terrenas respectum; sexum utrunq;, Sodomiam. Propter hæc autē peccata Italiam sic eo tempore bellicis cōtritionibus affligi, y uero uirtutis & † signum esse salutis; quare si uitijs his relictis, ad uirtutes & ad Christi crucem, id est, unicum eius recurrant meritum, respirationem & pacem denuo inuenturos esse. Fiebant autem hæc Lodouico Gallorum rege sub Iulio 2. pontifice Italiam uastante.

Rabi Moses in Aphorismis particula 23. sic scribit. In Sicilia accidit Eclipsis solis magna, & illo anno mulieres filios deformes ac bicipites peperere plurimos.

An bruta
ab homini-
bus possint
concupere.

Quæritur hic, Vtrum bruta concipere possint ab ho-
minibus, uel etiam uicissim homines à brutis. Hoc au-
tem fieri posse tribus affirmamus rationibus. Primo,
naturali appetitu. Secundo, prouocatione naturæ ex
delectatione. Tertio, uirtute attractiua matricis, quæ
in brutis & hominibus similis est. Exempla in promptu
sunt. Plutarchus enim in Parallelis minoribus hæc ha-
bet. Ariston Aristonymus Ephesius filius Demostra-
ti, cum odisset mulieres, cum asina rem habuit, quæ tem-
pore reuoluto puellam formosissimam peperit, Onosce-
lin nomine; author Aristoteles secundo Paradoxorum.
Et iterum, Fuluius Stellus mulieres cum haberet odio,
cū equa coiuit, quæ mensibus gestationis euolutis puel-
lam forma egregiam peperit, quam ille Eponam (forte
Hipponam) nominauit. Est autem huius nominis dea
quæ curam equorum gerit, ut scribit Agesilaus lib. 3. re-
rum Italicarum. Rursum ex Fuluiō quodam & equa
Hippopuella nata fertur, ut apud Plutarchum legimus.

Quemadmodum uero natura in homine se alterare
potest, ita in brutis quoq; fieri experientia docet. Nam
in Heluetijs equa à tauro subacta, exacto tempore pul-
lum peperit, equinis tantum pedibus, forma uero, crini-
bus & cauda uaccæ similem. In Gallia uero equa à cer-
uo subacta, pullum peperit, posteriori parte ceruæ simi-
lem, quem nullus alius equus cursu æquare potuit, is-
psumq; Lodouicus rex à possessore dono accepit.

C A P V T IIII.

De abortus causis & signis, nec non de abortientium om-
nisaria cura.

Cause a-
bortus du-
plices.
Internæ.



ABORTIRI mulieres, id est, immaturum pa-
rere foetum, internis & externis de causis con-
tingere tenendum est. Internæ, aut ex ipso fo-
tu,

tu, aut ex ipsa matrice considerantur. Si ex ipso foetu contingat, propter cotyledones fit nimium infirmas, quarum infirmitate fit ut acetabula hæc cito rumpantur, & abortus sequatur. Rursum si tunicæ quoque quibus infans in utero inuoluitur propter debilitatem rumpantur, retenti quoque & conclusi humores diffluant, quo fluxu lubrica matrix fit & infirmatur, foetus quoque humido nutrimento destitutus, deficit; nec non etiam si humiditates uirulentæ profluant & expulsiuam uim matricis stimulent. Est quando ex parte matricis interna de causa abortus contingit: id fit, quando debilis est mulier, & tabescens foetui alimentum subtrahit, ut neque augmentum, neque generandis membris materiam habeat sufficientem. Porro etiam ex parte matricis abortui causam præbent, patula amplitudo orificij matricis, nimia quoque eiusdem humiditas, & mala qualitatū temperatura, uentositas item in matrice conclusa, & eiusdem ulcera & apostemata; nec non aliæ etiam ægritudines, ut sunt, fluxus sanguinis nimius, fluxus uentris immoderatus, tenesmus, tussis, sternutatio assidua, & quæcumque corpus nimium concutiunt; imò & ægritudo acuta quælibet, quæ mulieris corpus ita afficit, ut foetus nutrimenta dissipet. Exter-

Externæ
causæ.

næ autem causæ quæ extrinsecus accidunt & abortum promouent, itidem multæ sunt; qualia sunt, cadere, currere, saltare, equitare, immodicè exerceri & percuti. Rerum etiam quæ extra corpus sunt inconueniens & applicatio & usus, ueluti aeris aut nimium frigidus aut calidus. Frigiditas enim ingens foetum perimit. Caliditas autem nimia aerem foetui intercipit, & in utero suffocat. Hoc & calidiores thermæ pariunt, si primis post conceptum mensibus ipsæ mulieres urantur. Tetri etiam foetores abortum prouocant, ueluti lampadum & candelarum.

recens extinctarū, teste Aristotele. Inconueniēs quoq; cibi potusq; ratio: ueluti appetitu impellente, sale, carbonibus, luto aut similibus uesci, quibus aut mali humores, aut noxia conciliatur siccitas. Esuries quoq; magna foetui plurimum nocet; repletio autem nimia citius uis alimentis obstructis, suffocat. Exercitium porro immodicum, labores nimij, somnus immoderatus, torpor continuus, uigilia quoq; intēpestiua & immodica. Alia item accidentia, qualia sunt, furor subitus, ira grandis, timor ingens, moeror nimius, gaudium improuisum, appetitus iners, desyderium rerum non parabilium, coitus nimius, libido insatiabilis. Et hæc de causis.

Signa abortus.

Signa autem futuri abortus, siue internis siue externis de causis proveniant, duplicia sunt. Primo ante conceptum prognostica quaedam sunt earum quæ abortiri solent, ueluti, humiditas superflua, pinguedo repentina & insolita, ut si contra suam ipsarum naturam repente pinguescant quæ semper macro graciliq; corpore esse consueuerunt. Vel quæ circa renes & lumbos usq; dolent, uel in alios periculosos morbos subito incidunt. Deinde post conceptum his notis de abortu secuturo certissimus esto, quādo mamillas primo turgidas & induratas repente mollescere obseruaueris, si nimij fluxus contigerint, continuaq; mēstrua fluxerint. Porro etiam si horrores, frigora & dolores capitis cum oculorū uertigine prægnantem repente corripuerint. Quæ omnia prognostica mox secuturi abortus existunt.

Quomodo mortuus foetus obseruandus.

Fœtum autem iam in utero mortuum esse hinc constare potest, cum eius in utero motus nullus percipitur amplius, cum prægnantis concidunt oculi, quando color in fuscā mutatur albedinem, cum tormina magna circa umbilicum & lumbos accidunt, quò fit, ut propter emortuum

mortuum foetum inferiores partes comprimantur, nec non stranguria & tenesmos accidant. Rursum, quando aures, labia, nariumque extremitas pallido frigore riget, & tumescit facies. Venter quoque licet non concidat, mollescit tamen, ita ut in altero latere recumbentis duram quandam massam tactu possis percipere. Anhelitus si foeteat, certum indicium est iam quoque coepisse putrescere.

Restat causis et signis cognitis, curam quoque nouisse, *De cura abortuum.* & certam abortus uel declinandi uel corrigendi rationem. Et primo quidem ad declinandum abortus periculum etiam ante conceptum certa ratione opus est. Si *Ante conceptum.* enim propter debilitatem mulier abortiri consueuerit, ante conceptum cibo potuque conuenienti confortabitur, ut pinguiusculo corpore melius habeat. Si amplitudo orificij matricis in causa fuerit, conuenienti medicina adhibita erit coarctandum, & superflui humores rite euacuandi. Si autem conclusa in matrice uentositas causa esse deprehendatur, ea supra dicto modo ubi de mola actum, minuenda atque dissipanda. Deinde, licet iam mulier conceperit, adhuc tamen abortus declinari certa *Post conceptum.* cura poterit. Et primo quidem, temperatum aerem, que *1.* concepit, inhabitet, exercitium corporis tribus potissimum mensibus modicum sit, ne nimio exercitio debilia adhuc foetus ligamenta rumpantur. Somnus non sit nimius. Ventrem non durum sed modice laxatum habeat; *Venter quomodo laxandus.* si autem durior fuerit, clystere ex cassia extracta, saccharo & oleo communi confecto, interdum soluatur. Periculi hoc nihil habet, nec ut imperitorum est iudicium, mors clysteribus acceleratur, sed induratae alui functio reuocatur. Si qui tamen illis adhuc abhorrent, alijs rebus uentrem laxantibus uti poterunt, cassia inquam extracta, uel manna in iusculo sumpta, uel ad formam ele-

ctuarij uel boli deaurati parata. In primis uero hic cauendum, ne tribus aut quatuor primis gestationis mensibus ualidiora medicamina prægnantibus dentur, ne debilia adhuc ligamenta foetum remittant. Vbi uenæ sectione opus fuerit, altera mediarum in brachijs aperienda. Hoc autem non amplius quam semel faciendum, ne alimentum foetui, diminutione sanguinis, subtrahatur. Sed medio gestationis euoluto tempore hoc fecisse erit tutius. Post conceptum etiam ab omni ira imprægnatæ sibi temperent, nimio gaudio abstineant, terrores & pauores caueant, & quæcunq; animum subito commouere possunt. Nimio item coitu in primis tribus prioribus, tenero adhuc foetu, mensibus abstineant. Gemmas & preciosos lapides gestare perutile est, ut sapphirum, hyacinthum, corallium, corneolam, adamantem, thurcesium. Cibus potusq; temperatus sit: acuta, ut porrû, cepe, allium, sinapi, & his similia, uitentur omnia, & cû his quæcunq; menses prouocant, quæq; alium astringunt. Quicquid cibi appetunt, eo potiantur omnino: appetitu enim explendo prohibere, abortum parit præsentissimum. Ideoq; curandum ne coram prægnantibus sermo fiat de cibis non parabilibus, uel si sponte appetitu alieno ducantur, ab illo desiderio ratione comoda quauis, quantum fieri potest, retrahantur.

2. Deinde quia fit ut in prægnantibus sæpe corrupta materia plurima sit, quæ si in uentriculum defluat, appetitum corrumpat, et nauseam uomitumq; inducat, indeq; exhalans, sursum ad caput tetros uapores summittat, unde uertigo cû alijs plurimis cerebri ægritudinibus consequitur: ad cor autem si uergant, deliquia & syncopen generant: si ad crura descendant, plurimum illa tumescere faciant. Ideo ad tot tantaq; declinanda pericula de uentri-

uentriculi cōfortatione ante omnia curam habere oportet. In primis autem hoc unguentum proderit.

Ventriculus quomodo confortandus.

- ℞ Olei spicæ odoriferæ ʒ j.
- Olei mastiches,
- Olei de cydonijs ana ʒ f.
- Margaritarum,
- Corallorum rubeorum præparat.
- Mentæ nobilis,
- Calami aromatici,
- Galliæ muscatæ ana ʒ f.
- Musci granum j.
- Ceræ albæ q f.

Misce et fiat linimentum forma liquida. Hoc unguento singulis diebus ante prandium uentriculus perungendus erit, calido fomento imposito. Quo facto, Diamargariton semper sumendum, uel sequens Electuarium hoc modo paratum.

- ℞ Conseruæ rosarum,
- Borraginis,
- Buglossæ ana ʒ f.
- Specierum diamargariton ʒ ij.
- Corallij præparati,
- Margaritarum præparat. ana ʒ f.
- Pulueris de gemmis ʒ f.

Misce omnia, & cum syrupo rosarum fiat electuarium, quod puri auri folio deauretur.

Quia etiam propter uentositates tribus primis mensibus abortus fiunt plurimi, imprægnatarum cibus his speciebus usq̃ erit condiendus.

Ventositates quomodo dissipandæ.

- ℞ Cinamomi,
- Nucis muscatæ,
- Cardamomi, ana ʒ f.

Zingiberis ʒ vi.

Piperis longi ʒ j.

Croci ʒ l.

Ex his puluis fiet, quo in omnibus cibis utilicebit. Vbi autem augeri cœperit uentositas, utendum erit confectis diagalangæ, diatriopipereon, diacyminu, & similibus. Ventrem autem & ilia oleo liliorum proderit perungere. Cæterum pro reprimendis uaporibus in caput exhalantibus, semper post sumptum cibum fruges stypticæ sumendæ sunt, puta, pira, cydonia, mespila, coriandrum saccharatum uel diacydonion, quod præ omnibus Auicennæ probatur. Salsamenta item aceto, aqua in qua aurum sit extinctum, cum cibo sumpta, probantur plurimum. Salubrius etiam fuerit assatis quam elixis uelsci carnibus & piscibus, aromatibus non mediocriter conditis. Vinum clarum sit, salubre, & dilutum modice. In secunda mēsa auellanam saccharo opertam sumere utile est. Pro crurium autem inflatione remouenda caules brassicæ uel flores chamæmali uino & aceto decoquantur, & super his fomentatio fiat. Quidam lutum album aqua ferrata miscēt, paucis insperso aceto, & fomenta eiusmodi, cruribus imponunt.

4.
Lumborū
& renorū
cura.

Quod si autem propter renum & lumborum agritudines abortus timendus sit, magna accedente inflammatione, quæ ex urina obseruari potest, hoc unguento lumbi deungendi sunt.

℞ Oleum myrtinum,

Rosarum,

Mastichinum ana ʒ j. l.

Succi plantaginis maioris,

Barbæ Iouis uel semperuiuæ ana ʒ l.

Boli Armeniæ,

Hordei

Hordei cremati,
 Terræ sigillatæ,
 Sandali rubei,
 Rosarum rubearum,
 Succī acaciæ,
 Myrobalanorum,
 Hypocisthidos, ana ʒ. ʒ. ʒ.

Terenda terantur, & cum aceto, cera alba & terebinthina q. ʒ. misceantur, & fiat unguentum. Huius unguenti usus si aliquot diebus præcesserit, sequens emplastrum postea renibus atq; lumbis erit imponendum.

℞ Mastiches ʒ. ʒ.
 Ladani ʒ. iiij.
 Cera citrinæ ʒ. ij.
 Bistorta,
 Nucum cupressi,
 Myrobalanorum,
 Hypocisthidos,
 Acaciæ,
 Terræ sigillatæ,
 Rosarum rubearum,
 Boli Armeniæ ana ʒ. j. ʒ.

Adde his aliquantulum Olei Mirisillorum uel Terebinthinæ, & fiat Cerotum, quod super corium extendi queat.

Quod si ex frigida causa abortus secuturus uidebitur, unguento hoc abstinendum, & sequenti emplastro erit utendum.

5.
 Frigiditas
 quomodo
 auerenda.

℞ Mastiches ʒ. viij.
 Ladani ʒ. iiij. ʒ.
 Cera citrinæ,
 Colophonæ,

Picis naualis,
 Styracis calamitæ ana ʒ. j. l.
 Nucum cupressi,
 Mentæ,
 Bistortæ,
 Galliæ muscatæ,
 Thuris,
 Galbani,
 Gummi Arabici,
 Myrrhæ ana ʒ. j. l.

Cum terebinthina emplastrum fiat. Sub hoc si prurium mulier senserit, aliquot diebus tolli, deinde uerò reponi debet, neq; in totum omitti, quia renes & lumbi hoc confirmantur plurimum.

6. Quomodo
 alius re-
 stringen-
 da.

Quod si nimium soluta prægnantis aluus fuerit, restringenda erit electuario sic confecto,

R̄ Diamarinton, (id est, cerasorum acidorum conditorum,)
 Diacydoniten,
 Elect. de cornis,
 Conseruæ rosarum ana ʒ. j.
 Capitum glandium,
 Terræ sigillatæ ana ʒ. j.

Misce cum syrupo de granatis, & fiat Electuarium in forma liquida, hoc mane & uesperis & ante cibum sumptum, probatur plurimum. Laudantur hic Hippocrati canceri ex riuis & fluminibus collecti. Omnes item cibi aqua ferrata cocti, uel succo acaciæ temperati. Vinum quoq; ea aqua dilutum. Cibus non tenuis & humidus, sed siccus & crassus. Dactyli, id est, palmæ fructus cum iure coquantur. Si hæc aluum non astrinxerint, clysteribus astrictiuis uti conueniet.

Quod

7. Quod si tenefmo laborauerit, ita ut abortus timēdus sit, omnia ea usurpanda de quibus supra dictum, quibus alius laxari possit, nec non clysteres & suppositoria quoq;. Diæta etiam secundum tum præscriptā formam erit instituenda.

8. Si noxijs humoribus imprægnata abundauerit, unde plures sequi morbi possint, ueluti tertiana, quartana & synocha, quæ propter diminutionem alimenti, Hippocrate monente, facile abortum pariunt, uel paroxysmi grandes sint, cum magnis capitis doloribus æstuq; nimio, tunc contra æstum sic occurrendum.

℞ Aquæ rosarum,
 Betonica,
 Saluia,
 Aceti,
 Solani ana ʒ j.
 Omnium sandalorum ana ʒ. f.
 Boli Armeniae ʒ j.
 Terræ sigillatæ,
 Croci ana ʒ f.

Misce cum albumine ouï & fiat epithemum super tempora. Vti licebit etiam cōfortationis loco Diatriasandali, Conseruis, rosarum, borraginis & buglossæ. Quod si matricem quoq; inflammari cōtigerit, lumbrici terendi sunt, ex quibus mixto aceto, succo rutæ & oleo comuni, fiat epithema. Vel emplastrum de Sandalo uel cœctum album erit imponendum.

9. Quod si secundo aut tertio gestationis mēse propter abundantes humores phlegmaticos alba menstrua fluere incipiant, quibus cotyledones afficiuntur, & orificiū matricis nimis sit lubricum, ideoq; mulierem abortum facturam timendum sit, omnino procedendum eo modo

ut de Ventositate discutienda supra diximus .

*Varia ex=
perimenta
abortum
prohibētia.*

Præterea tamen & alia experimenta probantur. Ossi-
culum, quod saltum (astragalum) leporis uocant, gestan-
dum, & ex illo quotidie ieiuno adhuc uentriculo biben-
dum. Lapis item stellatus, auro uel argento ita inclusus,
ut nudum corpus queat contingere . Gestant nonnullæ
unguem ex urfi pede . Cinis etiam ex erinaceo combu-
sto collectus & oleo subactus , unguentum præbet huic
affectioni ualde accommodum. Sub oleribus uermiculi
inueniuntur, qui si uiui à collo mulieris suspendantur,
nunquam abortum faciet, neq; ante tempus pariet, ut
quidam polliceri audent, penes quos rei fides esto. Tan-
tam enim uim partum impediendi habere aiunt, ut nisi
remoueantur, prægnans eniti nequeat . Quare in tem-
pore semper esse remouēdos . Lapis ætites probatur
etiam contra abortus & partus præproperos, qui rursus
partum nimis tardum quoq; promouere fertur.

10. Sunt porro & alia quædam externa, quæ extrinsecus
accidūt, & tamen naturali causa mulieribus etiam abor-
tum conciliant, ueluti si prægnans calcet serpentem, ui-
peram, ouii coruum, (ut quidam scribunt,) uel mortuum
amphisbænam. Hoc quidam & castoreo in sinu gestato
tribuunt.

11. Quod si contigerit post conceptum fluere menstua,
continuo restringenda nō sunt, nisi horum diffluxu in-
firmior fiat mulier. Si mediocriter fluxerint, permitten-
dum hoc, quia multam uiscositatem & confusos humo-
res, & abundantem sanguinem retētum in utero porten-
dunt. Si largius, mediocriter restringendi erunt, acacia,
hypocisthidae & semine lini aqua decoctis, per encathis-
mum adhibitis. Si crura tumuerint, quod plæruncq; tri-
bus prioribus mensibus contingit, hepatis & uentriculi
ratio

ratio habenda est, ut superfluis alleuentur humoribus, cibiq; diuersæ præbeantur qualitatis. Si hepar prægnantibus indurescat, difficile est hoc corrigere, quia, Galeno teste, in hoc affectu ferendis ualidioribus medicaminibus sunt impares. Quapropter leuissima quæq; illis erunt adhibenda.

Quoniam uero fit ut foetus mortui tardius aliquando, interdum uero nunquam in lucē edantur, sicut & secundæ, maxima mulieribus pericula simul & ægritudines, syncopas & deliquia plurima, fieri tenendum est, æstiuo in primis tempore, propter diros ex putrescente foetu uapores sursum halâtes, & cor cū cerebro adeo infestantes, ut sapius mentis compotes porro non sint. Itaq; omnis adhibenda cura, ut mortui foetus maturè expellantur, miseræq; foeminae tantis liberentur periculis, quod quomodo fiat, in superioribus libris proluxa tractatione docuimus.

C A P V T V.

De signis conceptus.

VERVM mulierum conceptum licet cognoscere sit difficile, tamen multis signis coniectari licet, & argumentis quibusdam experiētia confirmatis assequi. Certum signum creditur, si mulier decimo aut proximio die post concubitum die propter humores alba aut rubea menstrua senserit. Retentio quoq; mensiū pro signo habetur, fallit tamen, quia præter conceptum quoq; contingit sapius. Omissio ergo hoc, alias persequemur notas, & ueri conceptus prognostica ex ipsius mulieris petita corpore, singulis membris examinatis, initioq; primum à capite factio.

Capitis dolores, uertigo & oculorum caligatio, si si-

mul concurrant, conceptum portendunt,

Pupillæ oculorum minuuntur.

Oculi tument, & in fuscum colorem transeunt.

Venulæ oculorum rubescunt & tumescunt sanguine.

Oculi multum concidunt.

Palpebræ remissæ fiunt.

Varij colores conspiciuntur in oculis, & in speculo
obseruantur.

In facie rubæ suboriuntur pustulæ.

Venulæ intra nasum & oculos sitæ tument sanguine,
& cernuntur clarius.

Vena sub lingua subuicidit fit.

Ceruix est calida, spina dorsi frigida.

Venæ & arteriæ turgidæ sunt, pulsus obseruantur fa-
cilius.

Venæ in pectore sitæ, primo nigrescunt, postea flau-
scunt aut coloris cœrulei fiunt.

Vbera tumescunt, & cum doloribus indurescunt.

Papillæ rubescunt.

Si frigida bibatur, frigus sentitur in uberibus.

Fastidium cibi potuscq; obrepit.

Varij suboriuntur appetitus.

Naturalis appetitus fit destructio.

Vomitibus continuus, uentriculi debilitas.

Ructus acerbi & inertes.

Fastidium uini.

Pulsus cordis inordinatus.

Gaudia cita, post hæc dolores subiti.

Tormina circa umbilicum.

Lumborum ægritudo.

Infima pars uentris affecta tumoribus.

Interiores compunctiones in corpore.

Post

Post concubitus septem diebus retenta genitura.

Post coitum frigus & horror exteriorum membrorum.

Vis attractiua matricis augetur.

Matrix siccatu statim.

Magna in coitu delectatio, post conceptum autem Veneris fastidium.

Restringitur matrix. Sed quia alijs quoque de causis fit hoc, certo discrimine obseruari potest quando conceptum portendet. Tum enim gracilis est & mollis; si autem alia de causa restricta sit, ueluti nimio calore aut tumore, tunc existit durior.

Genitalia mulieris usque ad septimum mensem corrugantur.

Vterus rotundus fit & tumescit.

Circa conceptus initium sentiuntur dolores uentris & dorsi, quasi pulsatiles.

Retinentur menstrua, uenae enim, unde ea effluunt, per acetabula sanguinem alendo per umbilicum foetui deferunt; & partim sursum ad ubera ea materia hauritur, ubi in lac mutatur. Sic autem & Hippocrates admonet, dicens, Quando retinentur menstrua, nec febres aut paroxysmi consequuntur, & simul fastidium cibi obrepit, omnino tenendum est mulierem esse grauidam.

Intumescunt cum doloribus crura.

Corpus debilitatur, & pallefcit facies.

Pulsus primo acriter, mox sentitur leniter.

Alui excrementa difficilius, propter compressa intestina, excernuntur.

Vrina alba est, supernatante nubecula, multique in urina obseruantur ut in radijs solis atomi, in primis uero quando primo mense ad fundum multa eiusmodi subsidunt, motoque in quo sunt uase, lanæ instar diducantur.

Posterioribus mēſibus urina rubea aut flaua, tandem uero nigra fit, ſupernatante rubea nubecula.

Hippocrates melle aqua mixto conceptum experiri docet, ut ſi hoc ſumpto mulier lecto decumbens uentris tormina ſenſerit, conceperit; ſi uero non, nondum im-
pragnata ſit.

Quod per ſuffimenta quidam hoc experiri uolunt, parum ad rem facit. Hippocrates enim, non conceptus, ſed ſterilitatis & ſœcunditatis notas ſic obſeruari docet. Qui autem ſuffumigijs pro conceptu indagādo, aliquid tribuunt, ſuffitum ex re ſuppoſita ne ad nares penetret detineri dicunt. Talem coniecturam etiam ex ſuppoſito allio & ariſtolochia adhibita ſumi uolūt. Sed quā probabilis ratione, ipſi uiderint.

Certius erit experimentum, urinam mulieris triduo in uītro concluſam obſtruere, quo tempore exacto per ſindonem puram deſtilletur, & ſi concepit, minuta ani-
malcula pediculorum inſtar comparebunt: hæc ſi rubea ſint, masculum, ſi alba, ſœmellam conceptam eſſe por-
tendere dicunt.

Pro certo & hoc quidam afferunt. Si urinæ mulieris peluī ænea contentæ nocte una acus terſa imponatur, craſſino, ſi mulier conceperit, ea acus rubeis erit uarie-
gata maculis; ſi non, nigra erit & æruginofa.

Succum cardui ſi ſumat mulier, ſumptumq; euomue-
rit, certum conceptus ſignum eſſe creditur. Et hæc de
promiſcuus conceptus ſignis.

*Masculi
conceptus
ſigna.*

Vtrum autem masculus an ſœmella concepta ſit, ſi-
gnis his obſeruari traditur.

Si masculus, Oculus dexter mouetur crebrius, & co-
lore natiuo ſiniſtro oculo habet melius.

Dextra mamilla præ ſiniſtra turget & indureſcit: pa-
pillarum

pillarum color mutatur citius.

Lac nascitur citius, & si emulgeatur radijsq; solis in vitro opponatur, coalescit in claram massulam, margaritæ pellucidæ non abfimilem.

Si lac prægnantis urinæ ipsius inspergatur, continuo ad fundum concidit: si sal adhibeatur, non diffluit.

Dextra gena rubicundior est, totusq; faciei color, Hippocrate monente, habet melius.

Minus torporis sentitur.

Primus motus plarunq; die sexagesimo in dextro latere sentitur acrior. Nam sic & Hippocrates de situ docens admonet, in dextro latere masculos, in sinistro uero recumbere foemellas, eò quod maiori calore masculi opus habeant, quem ab hepate in eodem latere sito attrahant.

Si circa quadragesimum diem post conceptum menstrua fluant,

Venter circa umbilicum fit acutior.

Iter ingressuræ mulieri pes dexter præponitur, & in assurgendo dextra se citius quam sinistra suffulcit & subleuat.

Pulsus in dextra magis uelox quam in sinistra.

Si uero foemellas cõceperint, omnia his diuersa fiunt, *Foemellæ conceptus signa.*

& hæc plarunq; signa obseruantur.

Primus motus 90. die ut plurimū fit post conceptū.

Motus fit in sinistro latere.

Gestantur foemellæ magnis doloribus.

Tumescunt crura & membra genitalia.

Color est pallidior.

Appetitus uehementior.

Fastidium ediuerso celerius.

Circa diem 30. post conceptum fluunt menstrua.

Si puluis aristolochiæ cum melle subigatur, & hoc ipso lumbi cum genitalibus perungantur, sexum conceptum obseruare creditur esse facile: ut si prægnantis spiritum dulce fuerit, masculum; si amarum, foemellam gesserit.

Ætas quoque mulierum non parum refert. Quæ enim iuniores sunt foeminae, citius masculos generant; quæ uero seniores, citius foemellas, propter caloris defectum in matrice, ex ætate contractum.

Puellæ etiam magis generantur humidioribus & frigidioribus natura parentibus, ex semine plus fati humido, frigido & liquido.

An autem infans in utero recte ualeat, certis signis obseruari potest. Si sana sit soboles, mamilla, Hippocrate teste, duriores sunt. Si sana non sit, aquosum lac sponte de uberibus promanat.

Rursum, si uterum gestantibus sæpius menstrua fluant, Plinio teste, non sanum & uiuacem, sed infirmum portendunt infantem.

Porro, obesiore foeminae infirmiores plerumque gestant liberos.

Si hydrops prægnantem corripiat, eiusque nares, aures & labia rubescant, mortuam in utero sobolem portendunt.

Si geminos gesserit mulier, ex quibus alter masculus sit, de foemella magnum est periculum, Aristotele teste, quia impari alimento uegetatur in utero. Minus periculi est si foemellæ sint. Nam sub Maximiliano Imperatore quædam tres puellas uno partu enixa est, quæ omnes ad iustos peruenere annos.

Si ante uel circa purgationem menstruam concipiat, infecti & uenenati geniture humores miscentur, ex quibus leprosus ut plurimum generari compertum est. (Alio-
qui

qui conceptum non fieri nisi incipientibus aut desinentibus mensibus doctiores tradunt.)

Si semel concipiat mulier, & post tempus aliquod concipiat iterum, posterior in utero genitura ægre uiuet. Aristoteles enim perhibet quandam uno partu geminos pueros uiuos enixam, post quintum mensem adhuc alium, sed iam ante in utero mortuum. Superfata
tio.

Si post nonum mensem prodeat infans, plarumque infirmus & debilis existit.

Si uirgo iuuenula concipiat ante primos flores, sobolem egregiam & perfectam generat.

His omnibus præmissis, & hoc tenendum, quod de futura sobole obstetrices obseruare solent, an inquam deinceps plures liberos mulier enixura sit. Quot enim nodos in umbilico infantis recens nati obseruauerint, tot adhuc deinceps masculos generari dicunt. Et hæc de conceptus signis, omissis multis quæ perhibentur alijs, dixisse sufficiat.

C A P V T VI.

An homines ex demonibus, & rursus demones ex hominibus infantes concipere possint.



DAEMONIS imposturas infinitas esse, nemini dubium est; inter quas & illud habet, ut (sacra scriptura teste) in angelum lucis quoque se transformare, & hominum etiam figuras assumere, & iusto permittente Deo, referre possit, id quod uaria rerum testatur experientia. Quare hoc in questionem uocare minime opus erit.

An uero cum hominibus rem habere: in primis uero, an mulieres imprægnare possit, questione non indiget. Coire posse, permittente Deo, forma hominum

sumpta, nemo negat. Nam & Diuus Augustinus idem testatur, dicens, Constantem esse famam ex eorum quibus hæc contigerunt testimonio petitam, esse spiritus quosdam dæmones & syluanos, qui mulieres aliquoties sollicitauerint & compresserint. Id autem ueteribus non modo probatum, sed apud nos etiam multis exemplis est compertum. Superioribus enim annis scortum quoddam nocturâ dæmone forma hominis cōpressum, confestim in ægritudinem maximam incidit, ita ut breuiter uterus & genitalia ipsius tabe uel gangrana absumpta sint, & nullo prohibente medicamine, ilia quoque & inguina eius exciderint. Erat & cuiusdam lanij seruus, qui iter faciens & de libidine cogitans, mox obuium dæmonem egregia mulieris forma habuit, cum qua, ignarus se cum dæmone rem habere, concubuit. Sed mox pudenda eius inflammata, cito tabe exulcerata sunt. Solet autem hæc Deus iustus pro puniendis sceleribus & admonendis hominibus iusto iudicio permittere.

Negat hunc actum Cassianus, dicens, impossibile esse spirituales creaturas cum hominibus rem habere posse, neque hoc credi debere; quoniam, si actus præcedat, aliquando & effectum sequi necesse est, id est, generari aliquid, quod tamen nulla constet experientia. Rursum, si hic actus possibilis dæmonibus esset, citius illos in se mutuo conuerti, quam cum hominibus commisceri. Ergo quod res est, pro summa dæmonis impostura et peruersa persuasione hominum hæc habenda sunt, eatenus, ut non credamus, dæmones, mulieres nec imprægnare, neque uicissim dæmones mulierum forma sumpta a uiris imprægnari posse. Nam sine humano semine hominem unquam natum esse (excepto unico unius Dei æterno filio Iesu Christo domino & saluatore nostro unico,

unico, ex spiritu sancto concepto, & ex Maria semper uirgine nato) simpliciter uti rem uerissimam affirmamus. Quare quod de Merlino quodam refertur ex daemone *Merlinus.* nato, non aliter quam nomini ipsius respondentem nostra uulgata lingua fabulam, recipimus. Huius historiam qui cognoscere cupiet, in Vincentij historialis Speculi lib. 21. cap. 30. prolixè inueniet. Naturæ quidem lege similia similibus generari certum est, ergo ex demone homo nasci non potuit. Neque unquam tantum demonibus permisisse Deum Opt. Max. cognouimus, ut illi liberos ex hominibus procreare, & suam quasi sobolem in homine ad Dei similitudinem condito, possent constituere. Cæterum si saga & uenefica huius mater extitit, non potuit hanc in daemone gratiam tantum proferre mendacium, ad peruertendos falsa opinione hac multorum animos. Concubuisse potest, at non hominem ex illo concepisse. Si non concubuit, tam præstigijs uterum illius inflare potuit, ut se ex illo grauidam esse putauerit. Exacto etiam tanto tempore, quanto uterum gestare solent mulieres, dolores quoque in utero graues concitare, & aliunde sublatum infantem dolose supponere: tumores etiam illos uentositate aliqua concitados, continuo solvere & reprimere potuit. Nam & tale quiddam nostrorum quoque temporum experientia constat. Constantiæ enim formosa quædam cuiusdam ciuis famula, Magdalena nomine, à daemone compressa, postquam in carcerem coniecta illi (piorum uerbi Dei ministrorum consilio diuinis mota rationibus) per pœnitentiam ualedixisset, tantos in utero ex eo tempore cruciatus sensit, ut in singulas ferè horas infantem sibi enitendum esse crederet. Sed sæpius adhibitis obstetricibus, clauos ferreos, ligna, uitra fracta, crines, stuppam, lapides, ossa, ferrum,

& huiusmodi per matricem excreuit innumera, quæ ni mirum malus ille dæmon subdolè & malitiose suppo-
suit & importauit omnia.

Alías quasdam huic quæstioni inseruientes historias idem Vincētius naturalis speculi lib. 3. cap. 26. & 27. ci-
tat. Quendam inquam iuuenem sub crepusculū in ma-
ri lauante, crinibus mulierem apprehēdisse, quam do-
mum perductam uxorem sibi duxerit, filiumq; ex ipsa
susceperit. Ipsa uero usq; ne uerbum quidem loquente,
maritum aliorum instīctū qui spectrum ipsam esse di-
cerent, simulata pueri ex ipsa suscepti mac-tatione, nisi
suam referret originem, illam loqui compulisse. Illam
uero tristitia prolocutam euanuisse, adultumq; puerum
hunc in mari lauante mersisse etiam ipsum uero nulli
bi ad littus maris deinceps inuentum esse expositum.
Itaq; non uerum fuisse hominem hunc, licet forma ueri
hominis natus & educatus fuerit. Phantasticam autem
mulierem hanc Succubum dæmonem fuisse, credidisse
multos. Non absimile est quod prædicto loco affert,
Colonix inquam Agrippinæ in palatio quodā ad Rhe-
ni littus multos primates quodam tempore confedis-
se, qui dum forte in aquas despicerēt, uidisse militem quen-
dam parua nauicula uectum, nauiculam cygno præna-
tante, argentea collo iniecta catena, trahente, dimisso cū
nauicula cygno in littus exiliisse, ibidem uxorem duxis-
se, multosq; ex illa liberos procreasse. Aliquot autē an-
nis exactis renatante uacua nauicula, & prænatante ut
prius cygno, eundem in nauiculam se denuo recepisse,
neminiq; porro apparuisse, liberos autem illius illic ad
multam ætatem aduixisse. Hunc autem incubum dæ-
monem fuisse crediderunt multi, qui uiri forma tot an-
nis foeminæ cohabitans, tantis usus præstigijs, simulatos
uteri

*Succubus
dæmon.*

*Incubus
dæmon.*

treri tumores, simulatosq; partus suppositis aliunde furto sublati infantibus ædiderit.

Quod autem multi hac persuasione laborant, dæmonem succubum ex uiro posse genituram concipere, & mox mutatum in incubum, eandem genituram in uterum mulieris proijcere, & ex ea hominem generare, ut est falsissimum, ita nullam prorsus fidem mereri debet. Nam & religioni & naturæ repugnat plurimū. Si enim hoc possibile esset, quot ferarum monstris humanum genus tanto tempore, seminum permutatione per dæmones in brutis et hominibus facta, infestatum esse à tanto humani generis hoste uidissemus? Quare rectè de his Conciliator in libro de Medicina, differentia 25. dicens, Sciendum testiculos uiri generatiuæ uirtutis esse principes, non solos tamen, quia ex his solis generandi non fit principium, neq; per se soli generationem possunt perficere. Primum enim ex corde principium est, propter uitalem in ipso uirtutem repositam, ita ut nil uiuum sine eius uirtutis adminiculo generari possit. Nam uitali uirtute & naturali calore testiculorum uirtus tandem constat. Quare dæmonem ut succubum ex hominibus concipere, & in homines ut incubum conceptum semen proijcere & hominem generare posse, non fabulosum modo dictu, sed impium etiam creditu dicimus.

An autem infantes furandi, transferendi, supponendi & permutandi dæmon potestatem habeat, multa quaestione non indiget. Quod enim interdum tale quid fit, non illius potestate, sed Dei Opt. Max. permisso propter hominum peccata fieri tenendum est, in primis quando impij parentes, nulla religiosa liberorum cura habita, illos non dei benedictione muniunt, sed dæmonis maledictione obruunt. Omnes ergo, quia Dei sunt in-

An dæmon ex hominibus semen concipere, & per idem semen in homines proieclum generare possit.

Infantes suppositi.

fantes, illos religioſe tractare & Deo conſecrare, nō dæ-
moniacis maledictionibus obſcure, addiſcant.

LIBER SEXTVS.

DE STERILITATIS CAUſIS DI-
uerſis, & de præcipuis matricis ægritudi-
bus, omniumq; horum curis uarijs.

C A P V T I.

*De ſterilitate uirorum & fœminarum, eiusq; cauſis &
ſignis.*

*Sterilitas
quid.*



STERILITATEM, de qua in præſentiarū
dicere inſtituimus, non modo pariendi
in mulieribus, ſed in uiris quoq; generan-
di & ſemen fœcundum emittendi, corri-
gibili aliqua de cauſa cōtractam impoten-
tiam & difficultatem dicimus. Hanc Ariſtoteles ob eſſe-
ribus uiris & fœminis in primis tribuit, propter genita-
lium membrorum malam proportionem & indiſpoſi-
tam habitudinem, utpote in quibus ſemen prouocetur
remotius, & uitalis ſpiritus in illo cōcluſus propter eam
moram euanefcat citius. Cæterum non modo ea corpo-
ris habitudo, ſed inſuper multæ aliæ quoq; eius difficul-
tatis exiſtunt cauſæ. Cum enim uideamus ſæpe coniu-
ges coniunctos non generare, diſiunctos autem genera-
re utroſq; & contra, eos qui coniuncti generant, diſiun-
ctos, fœcundos nō eſſe, aliquid certè cauſæ ſubeſſe oportet.
Quare de hijs quæ notiora ſunt in medium afferre,
non inutile fore exiſtimamus; externæ enim & internæ
quæ

quæ hic concurrunt causæ multæ sunt.

Vt autem in multis externis habet sua adiumenta fecunditas, uelut in diæta conuenienti, temperatura aeris consueta, thermis natura calidioribus, quales sunt Helueticæ & Vallesianæ, cum aquis Empsiacis: ita sterilitas quoq; & generandi difficultas plurimum ex illis opis habent, ueluti ex incōuenienti diæta, assueti aeris permutatione, & glacialis aquæ potu & balneis. Deinde ex habitudine genitalium membrorum sterilitas quoq; esti
Sterilitatis cause ex matrice.
 mari potest: fit enim ut his non pauca ægritudines accidunt, propter quas non modo steriles & generandi impotentes, sed & coniugibus cohabitare inepti coniuges fiant. Quo loco restrictio orificij matricis plurimum incommodat, quæ fit, ut non modo retenti menses generationem impediunt, sed insuper alia quoq; plurima mala pariant. Rursum, cum genitalia membra per se aut nimis patula aut restricta sunt, eorū neq; cōceptui neq; generationi conueniunt. Retentio menstruorum idem facit, quæ matricem multum infestat, & semen in uterum proiectum propter copiam malorum humorum suffocat. Ex mulieribus quoq; quæ plus nimium uiragines, et ex uiris qui plus satis effœminati sunt, generationi minus idonei sunt. Hæ enim purgationibus menstruis & humoribus nutritiuis in uniuersum ferè carent: illi autem nimis frigidi & humidi generatiua uirtute præditum semen proijcere nequeunt. Huc pertinet & attractiua matricis uirtus debilior, & eiusdem permutatio celerior. Nam attractiua & expulsiua matricis uirtus aut robustior aut debilior, ex æquo difficultatem generandi pariūt. Matricis quoq; ægritudines, tumores, inflammationes, hulcera, apostemata, acetabula rupta, menses copiosi aut retenti, & quæ his sunt similia, eidē difficul-

tati multam causam præbent. Venas quoque post aures sitas (utpote quæ uiam spiritibus præbent, quos semini cerebrum cõmunicat) resectas, Hippocrate monente, multi eidem causam esse dicunt. Vesicæ incisionem idem parere affirmant, quæ tamen per se letalis existit. Multa etiam sunt quæ sumpta proprie sterilitatem inducant, ueluti camphora, cicuta, et his similes herbe & radices alię, omniacque quæ cerebrum, renes & testiculos, utpote principalia generationis membra, offendunt.

*Externe
causæ.*

Huc etiam multa alia quoque pertinent, ueluti nimia repletio, inanitio, exercitia immodica, caliditas resoluens, frigiditas mortificans. Peculiarem etiam quibusdam aquis sterilitatem inducendi uim Theophrastus tribuit.

Præmatum inter causas complexionum ferè diuersitas obtinet, quando coniuges iusta qualitatum temperatura careant. Vbi autem uel aliquantulum mixtæ fuerint, facilius generare poterunt. Multa quoque ætas per se in uiris & fœminis generationem propter humorum defectum impedit, licet septuagenarios & octogenarios non paucos generasse adhuc compertum sit. Postremo, magna etiam sterilitatis causa est, quæ per ueneficarum præstigia contingit. Hæc de notioribus sterilitatis causis dixisse sufficiat.

*Signa steri-
litas.*

Signa autem quibus hæc imprægnandi difficultas obseruari potest, existunt plurima. Prima ex genitalium membrorum constitutione & habitudine sumenda sunt, ueluti si aliquo uitio laborent, nimis patula aut restricta sint, generationi agnoscatur minus esse idonea. Semen quoque si nimis calidum aut frigidum existat, quod ipsum ex urinæ non modo colore, sed substantia quoque eiusdem obseruari posse aiunt. Ex habitu & colore corporis de sterilitate & fœcunditate multi etiam iudicant, ut quæ pallidiores

pallidiores sunt fœminæ, humidiores quoq; credantur esse. Si humidiores, ergo & retinendo & fouendo femini minus pares. Peculiare quorundam experimentum hoc est. Hordeo urinam cuiuspiam, de cuius sterilitate aut fœcunditate inquisituri sunt, affundunt. Hoc intra decimum diem si germinet, pro fœcunditatis nota: si non germinet, pro sterilitatis certo argumento agnoscunt. Alij autem siliquis uel furfuri urinam affundentes, sterilitatis notam ex eo obseruant, si uermes in eo generari uideant. Hippocrates suffimentis hoc indagare monet, ut suffitu inferius adhibito, superius per olfactum (inferius pannis obstructa muliere) obseruato, fœcunditatis nota credatur esse, eo quod genitalia membra restricta non sint: si non deprehendatur, restrictæ matricis adeoq; sterilitatis satis certa nota existat. Linimentis oculorum nonnulli idem deprehendi posse uolunt, ut si linimenta colorum quorundam oculis inspersa sputum non alterent, certa constipationis adeoq; sterilitatis signa sint, eo quod femini confinia membra oculi existant, utpote propter cuius emissionem immodicam ijdem cito concidant. Habent & sua nonnullæ uetulæ signa, quibus in utro coniugū maior sterilitas existat, obseruent. Maluæ enim manipulos duos seorsim positos, alterum alterius coniugis urina perfundunt, alterumq; alterius similiter, prioremq; qui exaruerit, sterilitatis in eo cuius urina perfusus est, testem esse perhibent. Eadem & per fabas & hordeum experimenta sumunt, ut cuius pars citius germinat, in eo plus fœcunditatis esse credant.

Notandum porro hic quoq; est, mulieres fœcundas & liberis generandis idoneas, citius quidem præ sterilibus habitu corporis senescere, macrescere & debiliores fieri, senectam tamen multo saniores ijs quæ nunquam

generarunt, nascisci, utpote in quibus retentorum uari-
 orum humorum copia peius aliquid pepererit, & sani-
 tatem corporis bene constitutam infestandi maiorem
 occasionem dederit.

C A P V T II.

De cura sterilitatis à phlegmate profecta.



COGNITIS iam causis & signis difficultatis con-
 cipiendi in mulieribus, imprægnandi in uiris,
 & generandi in utrisq;, consequens est nunc
 de horum quoq; cura dicere. Et primum quidem si ex
 humido & frigido phlegmate ea difficultas cōtracta fue-
 rit, ante omnia superflua ea materia sequenti syrupo mi-
 nuenda & expurganda erit.

℞ Radicum Rubeæ maioris, ʒ ij.
 Rusci,
 Asparagi,
 Graminis, Cyperi ana ʒ j.
 Artemisiæ,
 Saurinæ,
 Nepetæ,
 Melissæ,
 Balsamitæ,
 Mentæ,
 Scolopendriæ,
 Capillorum Veneris,
 Gallitrici,
 Samsuci,
 Origani,
 Calamenti montani,
 Pulegij,
 Radicum Valerianæ ana M. f.

Seminis

Seminis seseleos ʒ. ʒj.

Anisi,

Carui,

Marathri,

Ameos,

Spicæ nardi, ana ʒ. ij.

Xylobalsami,

Carpobalsami, ana ʒ. j.

Liquiritiæ,

Passularum, ana ʒj.

Florum Anthos,

Stæchados Arabicæ ana ʒ f.

Rasuræ eboris,

Calami aromatici,

Santalii rubei, ana ʒ. f.

Conquassentur hæc omnia, & fiat decoctio cum aquæ fontanæ, & aceti ana ʒ iij. & sacchari ꝥ. iij. colentur usq; ad medietatem, & colaturæ addantur

Cinamomi, ʒ. j.

Musci grana iij.

De hoc syrupo aromatizato singulis diebus mane uncias iij. bene calidas bibere oportet. Vel syrupum huc magis dissoluere in aqua sambuci, pimpinellæ & artemisiæ, de singulis uncia una sumpta, & tres uncias mane bene calidas bibere licet. Vel alium syrupum hac forma parare poteris.

℞ Artemisiæ,

Sauinæ,

Mentæ,

Origani,

Calamenti,

Hyslopi,

Pimpinellæ,
 Chamædryos,
 Polytrichi,
 Florum sambuci,
 Stichados, ana M. j.
 Anisi,
 Marathri,
 Ameos,
 Carui,
 Seminis anethi,
 Seseleos ana ꝓ s.
 Radicis asparagi,
 Rusci,
 Rubeæ maioris, ana ꝓ. s.
 Cicerum rub. pugillum j.
 Spicæ Celticæ,
 Spicæ nardi,
 Cyperi,
 Squinanthi,
 Calami aromatici ana ꝓ. ij.

Misce, & fiat decoctio in aqua fontana, cum melle & saccharo ana ꝓ. j. s. & aromatizetur per colaturā cum cinamomo & musco, ut est prædictum. De hoc syrupo tres haustus tribus diebus continuis bene calidi mane sumendi sic parari poterunt.

ꝑ Oxymelitis squillitici,
 Syrupi de radicibus acetosi,
 Syrupi de artemisia, ana ꝓ. j. s.
 Aquarum pimpinellæ,
 Fœniculi,
 Artemisiæ ana ꝓ. iij.

Ex mixtura horum tres haustus fiant.

Deinde

Deinde materia hac per prædictos syrupos sufficien-
ter ad purgationē emollita, si ualidioris naturæ uel com-
plexionis mulier hâc difficultatem passa extiterit, hæc
etiam pilulas sumere poterit.

- ℞ Pilularum foetidarum ʒ ij.
Specierum Diacastorei ʒ j.
Diagridij grana ij.

Fiant cum syrupo de artemisia uel melle pilulæ xi.

Quod si autem pilularum usum horruerit, pro pilulis
hac potione utatur.

- ℞ Diacassia ʒ i.
Electuarij diaphœnicon,
Electuarij Indiana ʒ ij.
Syrupi de radicibus sine aceto ʒ j.

Misce cum aquæ artemisiae uel melissæ ʒ ij. & fiat hau-
stus.

Vel aliter.

- ℞ Electuarij diaphœnicon,
Elect. Indi,
Diacassia, ana ʒ j.
Agarici electi ʒ ij.
Zingiberis ʒ j.
Salis gemmæ grana vj.

Infundantur omnia in aquam lactis caprarum & mel-
lis rosati ʒ j. eaq̃ duodecim horis infusa exprimantur,
& prædictis mixta electuarijs in potum redigantur.

Si uero Electuarium siccum magis adlubuerit, tres
boli sicci tali forma confiant.

- ℞ Elect. diaphœnicon,
Elect. Indi,
Diacassia ana ʒ ij.
Sacchari albi q. s. & fiant

tres boli deaurati.

Si nec hoc placuerit, hanc in tabulis confectionem præparare poteris.

℞ Rosarum rubearum,
Cinamomi,
Zingiberis ana ʒ. j.
Santali albi & rubei ana ʒ. s.
Hermodactylorum,
Esulæ ana ʒ. j. s.
Diagridij,
Turbit, ana ʒ. ij.
Mastiches ʒ. j.
Sacchari albi ꝥ. s.

Dissoluantur omnia hæc cum succo uel aqua artemisiæ, & aliquot infusa horis exprimantur, & confectio in mortello uel tabulis fiat. Dosis sit ʒ. s. uel ʒ. v.

Vel si placet, de modo dictis pulueribus fumes, & saccharo albo trito æquali pondere miscebis, & trageam conficies, de qua ʒ. j. s. singulis mane in iusculo cicerum bene calidam præbebis. Quidam folia sene trita ʒ. ij. s. ad hanc formam præbent. Cæterum solutua huiusmodi, peritorum medicorum consilio pro eorum qualitatibus quibus hæc tribuuntur, sunt temperanda.

Expurgata iam sufficenter prædictis medicaminibus eiusmodi materia, proximum erit ut usus thermarum sequatur, ex quibus quoties mulier ascenderit, de theriaca communi uel Mithridatio ʒ. j. in aqua artemisiæ sumat. Vel si magis placet, de sequenti confectione sumat aliquantulum.

℞ Specierum, Trypheræ magnæ sine opio,
Diaplrîs,
Diambra,

Diamusci,

Diamufci,
 Diafatyrif, ana ʒ. ſ.
 Raſuræ eboris,
 Seminis mercurialis ana ʒ ij.
 Coaguli leporis, & matricis eius, ana ʒ. ſ.
 Siſeleos ʒ ſ.
 Sacchari albi ꝥ. ſ.

Diffoluantur cum aqua meliffæ, & his rite coctis addan-
 tur, conſeruæ corticum citri ʒ j. & conſeruæ anthos ʒ ſ.
 fiat confectio craſſiuſcula in morſellis.

Primaria autem eius dum thermis utitur cura ſit, ut
 certa & conuenienti diæta, frugaliq; uictu utatur, cuius
 præſcriptio à perito medico ſemper petenda erit.

Quod ſi autem eiufmodi thermas mulier habere ne-
 queat, balneum illi ex ſequentibus herbis in aqua coctis
 parari poterit.

ꝑ Artemiſſæ,
 Betonica,
 Chamæpityos,
 Chamædryos,
 Chelidonia,
 Gallitrici,
 Foliorum lauri,
 Maluæ,
 Amaraci,
 Meliffæ,
 Nepetæ,
 Origani,
 Ozimi,
 Pulegij,
 Roſmarini,
 Sauinæ,

Meliloti,
 Hyperici,
 Hyssopi,
 Chamæmali, ana M. j.
 Carui,
 Cumini,
 Sileris montani,
 Anisi,
 Anethi, ana ꝓ iij.
 Seminis lini,
 Fœnogræci, ana ꝓ ij.
 Radicum consolidæ maioris,
 Valerianæ,
 Petroselinii, ana ꝓb. j.
 Sulphuris ꝓ j. s.
 Salis ꝓ ij.
 Aluminis ꝓ j.

Mixta omnia sacco concludantur, & in aqua bulliant. Quarto autem die de nouo semper balneum hoc erit instaurandum. Hoc balneum quoties reliquerit, de theriaca communi uel Mithridatio ut prædictum est, sumat, lecto decumbat, & si qua potest, sudorẽ prouocet. Vel confectiõne præscripta eodem modo mane & uesperit utatur.

Vbi autem hoc balneo uti parum commodum fore uidebitur, selectæ quædam ex prædictis herbæ colligi, & ex his fomenta poterunt fieri.

Cæterum quando omnia hæc phlegmaticum humorem sufficiẽter expurgare non potuerint, pessarium hoc modo paratum, singulis noctibus illi adhibere proderit: quo tandiu utatur, donec phlegmaticis humoribus superfluis se liberatam esse senserit.

ꝛ Artemisīā,
 Sauinā,
 Maioranā,
 Dictamni,
 Absinthij; ana ʒ. ſ.
 Anisi,
 Ameos,
 Rutā,
 Corticum thuris, ana ʒ j.
 Pulpā colocynthidis ʒ ij.

Fiat puluis, & subigatur cum succo Mercurialis uel Chamadryos, fiatq; pessarium.

Porro inter omnia medicamina matricem astringendi uix aliud magis quam sequens illud probari putamus.

ꝛ Acaciā,
 Balauſtiorum,
 Capitum glandium,
 Scorix ferri,
 Mentā,
 Liliij,
 Corticis lentisci, id est, arboris mastiches,
 Corticis olibani,
 Antherā,
 Sumach,
 Tartari,
 Spicā, ana ʒ. ſ.

Misce & fiat puluis, ex quo cum succo acetosæ uel uirgæ pastoris seu millefolij fiant pessaria.

Quoniam uero aliquando fit ut propter nimis frigidum & humidum phlegma, matrix semen non modo retinere nequeat, sed etiā diro fœtore offendat, tunc sequenti medicamine est utendum.

Fœtor ma-
 tricis quomodo cur-
 randus.

℞ Gallæ,
 Nucis muscatæ, ana ʒ. iij.
 Caryophyllorum ʒ. j.
 Musci ʒ. f.

Terantur, & cum uini rubei ℥. j. dissoluātur. His cum mulier uti uoluerit, bene calidis genitalia mēbra abluat, pannosq; immersos imponat, in primis autem hoc cubitum itura faciat.

Quod si magis efficax matricem astringendi medicina placuerit, hoc ipso uti licebit.

℞ Radicis consolidæ maioris,
 Aluminis,
 Balaustrij,
 Myrrhæ,
 Olibani,
 Mastiches,
 Colophomiæ,
 Boli Armeniæ,
 Gallarum cupressi,
 Cornu cerui usti, ana ʒ. j. f.

Terantur omnia, & in puluerem redigātur, cuius dimidia pars uel totum bulliat in uino rubeo austero, mixto aceto modico. Ea decoctione bene calida mulier genitalia abluat. Puluerem etiam siccum ijs inspergere poterit, pannumq; aliquoties complicatum ea decoctione madefactum imponere.

Quod si hoc quoq; nihil aut parū præstiterit, sequenti insuper pessario ad hunc modum parato utendū erit.

℞ Aluminis scissilis,
 Myrrhæ,
 Ligni aloes,
 Pilorum leporis incisorum,

Rutæ,

Rutæ,
 Baccarum lauri,
 Doronici,
 Nucum cupressi ana ꝑ f.
 Storacis calamitæ ʒ. ij.
 Ambrae ʒ. j. f.
 Moschi ʒ. f.
 Gallarum,
 Mastiches,
 Aluminis saccharini, ana ʒ. ij.

Mixta in puluerem redigantur, & cum oleo myrtillorū
 fiat pessarium.

C A P V T . III.

De cura sterilitatis, à biliosis matricis humiditatibus obortæ.



VANDO à cholera imprægnandi difficultas
 fuerit, ante omnia conueniens diæta instituen-
 da erit, & mediocris usus omnium eorū quæ
 hominum uitæ necessario inseruiunt, puta, somni, uigi-
 liæ, motus, quietis, cibi, potus, aeris & similitum, ut ad fri-
 gidum & humidum declinent omnia. Deinde post ali-
 quandiu tentatum harum rerum conuenientem usum,
 uenæ malleoli utriusq; pedis aperiendę erunt, in primis
 uero quando sanguine mulier abundauerit & hilarior
 uisa fuerit. Nimum tamen sanguinem non mittat, quo-
 niam sanguis, ut uulgo dicunt, frenum est cholerae. Post
 uenæ sectionem sequente syrupo cholerici humores e-
 runt præparandi.

℞ Syruporum acetosæ simplicis,
 Oxyfacchari simplicis,
 Endiuia, ana ꝑ j.
 Aquarum Cichorii,

Lupulorum,
Buglossi, ana ζ ij.

Misce cum sandalo citrino, cinamomo & macis q. s. & ut potus aromatizetur. De potu hoc singulis diebus mane uacuo adhuc uentriculo, & tribus ante coenam horis, aut quotiescunq; hoc necessarium fore uidebitur, cer tam illi portionem propinabis. Vel si placet, pro potu hoc decoctionem hanc potes illi præbere satis calidam.

℞ Florum buglossi,
Borraginis,
Rosarum rubearum, ana M. s.
Violarum,
Lactucæ,
Foliorum papaueris albi,
Endiuia,
Scariolæ, ana M. j.
Seminis endiuia,
Lactucæ, ana ζ s.

Quatuor seminum frigidorum 3. vi.

Misce, & fiat decoctio in aqua fontana q. s. uel cum uini granatorum ζ j. s. & aceti ζ iiij. Addantur sacchari ℥. ij. & aromatizetur cum santali citrini, cinamomi & ambrae ana ϑ j. Utatur hoc syrupo mane & uesperi dosi unciarum trium.

Iam superflua materia humorum choleri corum ad purgationē præparata, sequenti haustu erit expurgāda.

℞ Cassiæ nouiter extractæ, uel
Mannæ electæ ζ j.
Temperentur decoctione sequenti.

℞ Capillorum Veneris,
Florum buglossi,
Violarum,

Prunorum,

Prunorum,
Tamarindarum,

Electuarij de succo rosarum, ana ʒ. ij.

Misce cum prædictæ decoctionis ʒ. iiij. & fiat haustus unus.

Vel ʒ. Rhabarbari electi ʒ. ij. Spicæ nardi grana ʒ. vi. infundantur in lac caprinum cum uino albo pauco, & x. horis infusione facta exprimantur. Eius autem coalaturæ ʒ. ʒ. iiij. & Syrupi de rosis Persicis ʒ. j. s. & ex mixtis illis fiat haustus unus.

Si potus hic non adlubescit, bolum illi sequentem sic confectum præbebis.

ʒ. Electuarij de succo rosarum,

Diamannæ, ana ʒ. iiij.

Sacchari albi, q. s.

Bolus deauratus in tres partes diuisus fiat.

Quod si autem citrina uel uitellina Cholera hanc diffi-
cultatematrici pepererit, sequentibus solutiuis mix-
tis erit utendum, certo pondere pro periti medici consi-
lio sumpto, ex

Citrina uel
uitellina
Cholera
quomodo
purganda.

• Electuario Diaphoeniconis,

Electuario Indi,

Pilulis de rhabarbaro, &

Aggregatiuis.

Expurgatis deinde sufficiēter superfluis humoribus, matricis natura & habitudo rursus sequenti erit confirmanda medicamine.

ʒ. Specierum diatria sandali ʒ. ij.

Rasuræ eboris,

Visci quercini,

Pulueris genitalis tauri,

Matricis leporis, ana ʒ. ij.

Sacchari albi ℥.s.

Dissoluantur cum aqua rosarum, & confectio in morsellis fiat. Vel aliter.

℞ Conseruæ rosarum ℥ s.
 Borriginis,
 Florum nenufaris,
 Buglossi ana ʒ. iij.
 Specierum, Diarhodon Abbatis,
 Diatria fantali,
 Aromatici rosati, ana ʒ j.
 Margaritarum,
 Pulueris gemmæ,
 Rasuræ eboris,
 Visci quercini, ana ʒ s.

Species omnes hæc dissoluantur cum syrupo rosarum q. s. & fiat mixtura & electuarium deauratum.

His omnibus rite expeditis, sequenti balneo lauet, quod hoc modo paretur.

℞ Vtriusq; maluæ cum radicibus,
 Matris uiolarum,
 Rosarum rubearum,
 Nenufaris,
 Foliorum cotoni ana M. j.
 Fœnogræci ℥. s.
 Salis communis,
 Aluminis rochæ ana ʒ. ij.

Incidantur herbæ omnes minutatim, & sacco conclusa in aqua, in qua mulieri insidendum est, bulliant. Huius balnei usus singulis annis per tres aut quatuor continuas hebdomadas esse poterit. E balneo autem quotiescunq; exiuerit, pondus auellanæ nucis de electuario confortatio præscripto sumere debet.

Suffitum

Suffitum etiam hunc interdum à balneo pro utero faciat.

- ℞ Santalorum omnium, ana ʒ. j. ℥.
 Styracis calamitæ ʒ. ij.
 Ambraë grana ʒj.
 Rosarum rubearum,
 Florum nenufaris,
 Violarum, ana ʒ. j.

Conquassentur cum aqua rosarum, & trochisci fiant.

Vnguento item Galeni uel sandalino lumbos & matricem aliquoties perungere non inutile erit.

Pessarijs etiam sic paratis noctu uti poterit.

- ℞ Medullæ cruris uituli,
 Cerebri cerui,
 Butyri uaccini,
 Adipis caprinæ,
 Seminis mercurialis, ana ʒ. ℥.
 Acaciæ,
 Hypoquistidos,
 Santali rubei,
 Styracis liquidæ,
 Cornu cerui usti, ana ʒ. ℥.

Incorporentur cum oleo rosarum & lana pura, fiantq; pessaria.

C A P V T I I I I.

*De cura sterilitatis, si à matricis sanguineis humoribus si-
 perfluis proueniat.*



QUONIAM uero non ex phlegmate modo & cholera abundantibus sterilitas inducitur, sed ex nimio sanguine quoq; cōtrahitur, eidemq; interdum reliqui humores etiam nimij uel corrupti mi-

ſcentur , primum per urinæ iudicia diſpiciendum erit, quis nam ex illis humoribus abundet. Si ſanguinem ſolum abundare deprehenderis , tunc talis erit inſtituenda diætã, quę ſanguinẽ minuat, & modicum illi alimentum miniſtret. Si humorem cholericum inefſe ſenſeris, diætã ad frigidiorẽ modum inſtitues. Si phlegma in eo abundauerit, ad ſiccum diætę temperaturam diriges. Sic enim fiet , ut ad conuenientem purgationem ea ſuperfluitas cuiuſcunq; tãdem humoris fuerit, ſenſim præparari poſſi . Quia uero ſanguinem prædictis humoribus permixtum , ab iſſdem purgandi ratio uulgò nota non eſt, ea à peritioribus eſt petenda medicis: nos quod ad ſanguineorum humorum minuendam copiam pertinet, hic proſequemur tantum.

Quando itaq; in mulieribus ſanguinis abundantiam conceptum impedire conſtat, primum uenæ malleoli in utroq; pede aperiantur , & iuſta ſanguinis imminutio fiat. Quo factò balneum ex talibus herbis erit præparandum, quę ad frigidum omnes declinent. Poſt balneum autem his tabulis uti debet mulier.

℞ Cinamomi,
 Seminis mercurialis,
 Roſarum rubearum,
 Limaturæ eboris,
 Margaritarum præparatã ʒ. j.
 Coralli rubei præparati,
 Pulueris de gemmis, ana ʒ ij.
 Santalorum omnium ʒ. ſ.
 Sacchari ꝥ. ſ.

Diſſoluatur ſaccharũ in aqua roſarum, & decoquantur omnia uſq; ad conſumptionem aquæ roſarum : quo factò, addatur conſeruæ roſarum ʒ. j. mixtiſq; omnibus
 ut

ut decet tabulæ deauratæ fiant.

Electuarium etiã huic usui ualde accommodum, de quo ante cibum nucis auellanæ pondere semper sumat, hoc modo præparari poterit.

- ℞ Conseruæ rosarum ʒ j.
 Buglossi,
 Borragnis ana ʒ. ij.
 Specierum diatria fantali,
 Diarhodon abbatis, ana ʒ. iij.

Misceantur species hæ cum syrupo rosarum, & incorporentur omnia simul, & deurentur cum folijs auri q. s. & fiat electuarium.

Fomentari etiã utile erit super sequentium specierum decoctione in aqua pluuiali facta, uel in qua chalybs extinctus sit.

- ℞ Rosarum rubearum,
 Gallarum,
 Sumach,
 Seminis plantaginis maioris cum folijs,
 Consolidæ maioris, ana M. s.
 Terræ sigillatæ,
 Boli Armeniæ,
 Aluminis rochæ, ana ʒ s.

Ex præscriptis speciebus puluis quoq; fieri & in prædicta aqua bullire poterit, qua mersus complicatus aliquoties pannus, lumbis & genitalibus bene calidus imponi debet.

Emplastrum quoq; sequens prædicto modo calidum similiter imponi poterit.

- ℞ Musci grana vj.
 Santali citrini,
 Rosarum rubearum ana ʒ. s.

Olei rosarum ꝑ j. s.
 Misce, & fiat emplastrum.

CAPUT V.

De cura sterilitatis, ex melancholico humore nata.



Si melancholicus humor abundans sterilitatis causa fuerit, diæta ante omnia ad calidum & humidū declinans erit instituēda. Frons quoque exporrigenda, & quantū fieri potest indulgendum gaudijs, omittendī uero mœrores, & fugienda omnis tristitia. Tum sequente syrupo superfluous humor ad purgationem præparandus & emolliendus erit.

- ℞ Syrupi acetosi de radicibus ꝑ ij.
- Fumi terræ ꝑ j.
- Aquarum scolopendriæ &
- Artemisiæ ana ꝑ ij.

Misceantur hæc & aromatizentur cum cinamomo, & fiat syrupus clarus.

Vel aliter.

- ℞ Aquarum buglossæ,
- Pimpinellæ,
- Fumi terræ,
- Artemisiæ,
- Scolopendriæ, ana ꝑ iij.
- Aceti ꝑ j.
- Sacchari albi ꝑ iiij.

Hæc cum cinamomo aromatizata, Iuleb fiant, cuius dosis sit ꝑ iiij.

Vel aliter.

- ℞ Calaminthæ,
- Origani,
- Stichadis,

Eupatorij,

Eupatorij,
 Florum borraginis,
 Artemisiæ,
 Buglossi,
 Chamædryos ana M. f.
 Scolopendriæ M. j.
 Corticum genistæ,
 Fraxini, ana M. f.
 Passularum ꝑ j.
 Misce & fiat decoctio cum
 Epithymi ꝑ j.
 Sacchari ꝑb. j.
 Mellis despumati ꝑb. f.
 Aceti ꝑ ij.

Aromatizetur decoctio hæc cum cinamomo. Dosis sit cum prædictis aquis ꝑ j. f.

Præparata ad purgationem his syrupis & emollita materia, consequens est eandem hoc medicamento expellere.

℞ Cassiæ nouiter extractæ,
 Mannæ, ana ꝑ f.
 Dissoluantur hæc sequenti decoctione.
 ℞ Capillorum Veneris,
 Florum borraginis,
 Buglossi,
 Violarum,
 Chamædryos,
 Linguae ceruinæ, ana M. f.
 Passularum, ꝑ f.
 Misce & fiat decoctio in aqua, cui adde
 Cinamomi, ꝑ j.
 Cassiæ extractæ,

Mannæ,

Confectionis hamech, ana ʒ. ij.

Syrupi uiolarum ʒ. j.

Misceantur omnia, & fiat medicamentum solutum,
cuius dosis sit ʒ. j. s.

Vel aliter.

℞ Confectionis hamech ʒ. iiij. s.

Sacchari q. s. & fiat

deauratus bolus trifariam diuisus.

Pilulis Lazuli etiam uti licebit, quarum dosis sit ʒ. j.

Expurgata materia superflua, proximum est conuenientibus & ad rem pertinentibus uti balneis, quæ hoc modo paranda erunt.

℞ Chamæmalis,

Meliloti,

Chamædryos,

Chamæpithyos,

Hyssopti,

Foliorum lauri,

Lauendulæ, ana M. ij.

Artemisiæ M. iiij.

Maluauisci cum radicibus M. v.

Seminis lini,

Fœnogræci, ana ℥. j.

Radicum ualerianæ ℥. s.

Omnia hæc incidantur, & conclusa sacco bulliant, cui mulier deinde insideat.

Post balneum autem, uel singulis diebus mane & uesperis, certam particulam de sequenti cōfectione comedat.

℞ Specierum de lapidibus pretiosis ʒ. ij.

Seminis Mercurialis,

Limaturæ eboris, ana ʒ. j.

Pudendi

Pudendi tauri,
 Coaguli leporis cum matrice, ana ʒ ij.
 Sacchari albi ℥b. s.
 Dissolue cum aqua
 Buglossi, & adde
 Conseruarum buglossi ʒ s.
 Borriginis ʒ. iij.
 Cinamomi ʒ. j.

Puluerisanda puluerizentur, & confectio in morsellis
 fiat.

Quod si autem præscripti balnei usus accommodus
 non fuerit, fomenta tamen ex præscriptis speciebus fie-
 ri poterunt, semper adhibito præcedenti hoc electuario.

Cæterum post balneum uel fomētationes, his quoq;
 pessarijs uti noctu & quouis alio conuenienti tempore,
 non erit inutile.

℞ Costum puluerizatum & cum oleo ro-
 sarum & bombyce, pessarium confice.
 Vel cum fœnogræco & adipe anatis.
 Vel cum seminibus asparagi & adipe anseris.
 Vel cum oleo uiolarum, musco & se-
 minibus prædictis.

C A P V T VI.

De cura sterilitatis, à nimia caliditate, siccitate, humiditate,
 & frigiditate profecta.



INTER alia concipiendi & generandi impedi-
 menta, non minima causa est, nimia matricis
 siccitas. Ea autem causa obseruata rerum om-
 nium usus ad humidiores temperaturam dirigendus
 est, ita tamen, ne corpus per hæc debilitetur, sed confir-
 metur. Itaq; his tabulis frequentius uti perutile erit.

℞ Sacchari albi ℥. j. f.

Amyli ℥. iij.

Saccharum dissoluatur cum aqua rosarū, mixtoq; amylo fiat decoctio cum amygdalorū dulcium ℥. iij. & oleo pauco, fiantq; morfelli.

Mire utile est etiā lac caprinum recens mulgendo extractum cum melle aut saccharo mixto bibere.

Balneum quoq; hoc mire conueniet. ℞ Capita ueruecum, quæ bulliant in ahenō aqua pleno eousq; donec ab ossibus caro resoluatur penitus: quō factō, insuper ℞

Foliorum uitis muscatellæ,

Salicis,

Violarum,

Chamæmalis,

Meliloti, ana M. ij.

Maluæ uisci cum radicibus M. vj.

Fœnogræci,

Seminis lini, ana ℥. ij.

Radicum ualerianæ ℥. j. f.

Misce omnia, & ex sufficienter bullitis fiat balneum. Poterit autem & encathismi uice instrui, ut uel in illo mulier insideat, aut ut fomenta ex eo faciat. Post balneum autem uel fomenta de hac confectioe proximis ante cibum horis buccellam sumere licet.

℞ Specierum diarhodon abbatis ℥. iij.

Seminis mercurialis,

Rasuræ eboris, ana ʒ. ij.

Matricis leporis ℥. ij.

Seminis bombacis,

Tragacanthæ,

Gumi Arabici ana ℥. f.

Sacchari albi ℥. f. in aqua bu-

glossi dissoluti,

Conseruarum buglossi,

Borraginis, ana \bar{z} j.

Misce & fiat deaurata confectio.

In primis uero opus erit matricē humectare, quod partim fiet per fomenta inferius in concluso sedili adhibita, partim autem per pessaria sic præparanda.

℞ Medullæ cruris uaccæ,

Adipis gallinæ, ana \bar{z} s.

Styracis liquidæ 3. ij.

Possunt insuper addi, olei amygdalorum dulciū \bar{z} iiij. fiantq; cum lana pessaria.

Quod si autem propter nimiam caliditatem conceptus impediatur, ut aut corpus complexionis nimis calidæ, aut genitalia ipsa infestata sint, tunc ante omnia conuenienti uenarum incisione facta, malleoli in sinistro, & hepaticæ in dextro pede, hic calor minuendus erit. Deinde etiam purgationibus quantum satis est, erit utendum, quibus tamen pro præparandis calidis humoribus, hæc potio erit præmittenda.

℞ Herbarum plantaginis maioris,

Endiuia,

Capillorum Veneris,

Polypodij,

Fumi terræ, ana M. s.

Rosarum rubearum,

Florum uiolarum,

Buglossi,

Nenufaris,

Borraginis, ana p. j.

Passularum \bar{z} s.

Mixta omnia cum aqua fontana q. s. ad medietatem

usq; decoquantur, colentur, & colaturæ addatur sacchari albi q. s. & aromatizetur cum

Cinamomi,

Rasuræ eboris,

Corallorum rubeorum præparatorum,

Santalii rubei, ana ʒ. s.

Ex prædicta decoctione sumatur ʒ. iij. & misceatur cū

Rhabarbari electi puluerizati ʒ. ij.

Serapij de epithymo ʒ. s.

Cassia nouiter extractæ ʒ. j. s.

uel mannae ʒ. j.

Vel aliter.

ʒ. Elect. de succorofarum ʒ. iij.

Cassia nouiter extractæ,

Diasene, ana ʒ. ij.

Misce cum prædictæ decoctionis uel aquæ endiuia ʒ. j. s. fiat potus.

Vel aliter.

ʒ. Syrupi de rosis persicis ʒ. j.

Syrupi de floribus persici ʒ. s.

Trochiscorum de agarico ʒ. j.

Cassia nouiter extractæ ʒ. ij.

Aquarum buglossæ &

Borraginis, ana ʒ. j.

Misce & fiat haustus unus.

Pessaria quoq; rari & supponi poterunt, cum succo mandragoræ, castyche, myrrha, camphora & gummi Arabico præparata.

Si uero caliditas non excedat, sed temperatior fuerit, tunc emplastris umbilico & pudendis impositis, quod abundat, adhuc imminuendum erit, ueluti unguento santalino forma liquida & crassa decocto, Breuibus, eodem modo

modo procedi potest, ut supra de cholera uel bile & sanguine præscripsimus.

At si frigiditas & humiditas genitalia membra nimis infestauerint, eorum superfluitas primum ad purgationem emollienda & præparanda erit, per remedia ad calidum et siccum declinantia, pro sequentis syrups præscripto.

℞ Herbarum artemisiæ,
 Betonice,
 Melissa,
 Pulegij,
 Maiorana, ana \mathcal{M} . \mathcal{J} .
 Radicum enulæ campanæ,
 Cyperi,
 Satyrj,
 Apij,
 Fœniculi,
 Asari, ana \mathcal{z} . \mathcal{ij} .
 Seminis anisi,
 Amomi,
 Liquiritiæ,
 Ruberæ tinctorum,
 Pastinacæ,
 Sileris montani,
 Cumini, ana \mathcal{z} . \mathcal{j} .
 Passularum \mathcal{z} . \mathcal{j} .
 Aquæ fontanæ q. s.
 Sacchari uel mellis despumati q. s.

Misceantur omnia, & post colaturam aromatizentur cinamomo, & oxymel squilliticum adijciatur. Dosis huius sunt \mathcal{z} . \mathcal{iiij} .

Vel aliter.

℞ Elect. Indi ꝓ j.
 Cathartici imperialis ꝓ f.
 Aquarum buglossi &
 Borriginis, ana ꝓ j.

Misce & fiat haustus. Vel dissolue cum prædictæ decoctionis ꝓ iij. & fiat itidem haustus unus.

Pilularum foetidarum & ex rhabarbaro cōfectarum itidem hīc usus esse potest.

Sufficienter purgatione facta, pilulis hoc modo paratis 3. j. sumpta, cubitum ituræ utantur.

℞ Ligni aloes,
 Xylobalsami,
 Sileris montani,
 Asari,
 Mastiches,
 Nucis muscatæ,
 Seminis anisi,
 Fœniculi, ana 3. j.
 Spicæ nardi,
 Calami aromatici,
 Galbani, ana 3. f.
 Myrobalanorum chebulorum,
 Belliricorum, ana 3. vj.
 Aloes ꝓ ij.

Misce cum syrupo de rosīs Persicis, & fiat massa pilularum, quarum dosis sit 3. j. Breuibus, eo modo procedi potest, ut supra in cura phlegmatis monuimus.

C A P V T V I I.

De generalibus quibusdam præceptis, uirorum & foeminarum sterilitati curandæ inseruientibus.



IRORVM & foeminarum sterilitatis curæ magna pars in usu rerum externarū sita est, quem tamen

tamē ita moderatum esse iubemus, ne corpus ad obesio-
rem habitudinem propellat, quia & pinguedo plurimū
fœcunditati officit. Horrida macies etiā multo in hac
causa uitio carere nequit. Quare in utrisq; his, alimentis
temperatioribus, quibus minus inflādi natura insit, erit
utendum. Vino modico, cibo autem frugali & tempera-
to. Principaliter uero mulieres complexionem & habi-
tudinem matricis obseruent, & mensibus suis cautē in-
tendant, ne his fluentibus, aut purgatæ iam, uictu utan-
tur inconuenienti, sed talibus fruatur potissimū, qui-
bus expulsuam uim inesse constat, qualia sunt, apium,
petroselinum, fœniculū, pimpinella uulgò Germanis di-
cta, cum similibus herbis & eiusdem naturæ radicibus.
Cæterum ut ad omnem casum bene instructæ quælibet
esse possint, contrariam cuius corruptæ matricis com-
plexioni dabimus antidotum.

Et primum quidem quando matrix nimia frigidita-
te infestata fuerit, mensium fit retentio, ex male dispo-
sita cibi potusq; ratione cōtracta, unde dolores circa lum-
bos, renes, genitalia, per tergū reliquaq; corporis mem-
bra sentiuntur continui, frigoraq; subinde infestant hor-
rida. His autem sic habentibus seruiunt quæcunq; cali-
dioris naturæ existunt, in primis uero thermæ sulphure
abundantes, quales Heluetiorum præcipue existunt Ba-
denses dictæ. Syrupo autem uel potione pro præpara-
tione expurgandæ huius materiæ, primum uti perutile
erit huiusmodi.

℞ Syrupi de artemisia ꝓ j.
Oxymelitis compositi ꝓ s.
Aquarum artemisiæ &
Melissæ, ana ꝓ j.
Miscendo fiat haustus unus.

Pro expurgatione autem hoc potu utendum.

℞ Benedictæ laxatiuæ,
 Cassiæ nouiter extractæ, ana ʒ. iij.
 Aquarum pulegij &
 Artemisiæ ʒ. j. l.
 Miscendo fiat haustus unus.

Diacastoreum etiam ad hunc usum probatur.

Omnes quoq; cibi earum aromatibus quæ calefaciendi naturam habent, condiendi sunt, puta pipere, zingibere & similibus. Breuibus, eo modo procedendum ut supra in curanda sterilitate phlegmatica docuimus.

Deinde, si nimia caliditate & siccitate matrix infestata fuerit, fluent sæpius menses, acuti tamen, ita ut pudenda quoq; afficiantur & exulcerentur sæpius. In hoc casu, & diæta, & medicamina, omniumq; externarum rerum usus ad frigidum & humidum reuocandus erit, ut & supra dictum in cura sterilitatis ex bilis abundantia.

Quia uero & à conclusa uentositate sæpe conceptus impeditur, cibo potuq; non inflante sed uentositatem dissipante, erit utendum, eoq; procedendum ordine ut supra de mola uentosa curanda docuimus. Et hæc de ijs quæ sterilitatem rectificant, sufficienter dicta sint.

*Adminicula
 la fecundi
 tatis.*

Nunc quæ fœcunditatem promouent & inducunt, in hac tractatione omittenda non sunt. Multa hic eximie utilia à ueteribus & recentioribus sunt prodita medicis, quorum quæ delectissima sunt, colligere, & in medium afferre, nõ sine multorum fructu, perutile esse duximus.

Suffitua.

Suffimenta primum prunæ iniecta, & ad matricem directa plurimis hæc placent.

℞ Nucum cupressi,
 Nucis muscatæ,
 Mastiches,

Thuris,

Thuris,
 Ladani,
 Myrrhæ,
 Galbani,
 Bdelliij,
 Baccarum lauri, ana ʒ. j.
 Styracis calamitæ,
 Styracis liquidij, ana ʒ. ij.
 Caryophyllorum,
 Carui ana ʒ. s.
 Ambra grana ij.
 Croci ʒ. j.
 Musci grana v.

Misceantur omnia hæc cum oleo spicæ odoriferæ, fiantq̃
 trochisci, quibus mane adhuc ieiunæ & uesperis cubitū
 ituræ mulieres suffiantur. Hinc & pessaria cōmoda con-
 fici quoq̃ poterunt.

Vnguento etiam sequenti genitalia perungere pro-^{Vnguentū}
 derit.

℞ Styracis calamitæ ʒ. j.
 Croci,
 Mastiches,
 Ladani,
 Myrrhæ, ana ʒ. j. Misce cum
 oleo spicæ
 Rosarum &
 cera alba q. s.
 Et fiat linimentum.

Profunt in hoc casu & leporum assata cerebra.

Nonnulli autem utuntur adipe anatum, anserum, galli
 narum, certiorū & similibus, quibus præscriptas miscēt
 species, & trochiscos faciunt suffitui faciendo idoneos.

Suffumi-
gia.Suffumigijs etiam sequentibus præscripto modo uti
licebit.

- ℞ Ladani puri ʒ j.
 Styracis calamitæ,
 Olibani, ana ʒ. j.
 Ligni aloes,
 Saurina sicca, ana ʒ. j. s.
 Ambra grana iij.
 Musci grana vj.

Misceantur et terantur omnia, et fiant pistillo calido trochi-
 sci, ex quibus supra prunas iniectis per embotum suffumi-
 gatio fiat. Ex massa horum & pessaria confici poterunt.

Vel aliter.

- ℞ Ladani ʒ. j.
 Styracis calamitæ ʒ s.
 Caryophyllorum,
 Ligni aloes,
 Rosarum rubearum, ana ʒ. ij.
 Ambra ʒ s.
 Musci grana vj.

Terantur omnia hæc, & trochisci prædicto modo fiant.
 Nonnulli horum etiam aqua rosarum dissolui poterunt,
 eaq; os matricis abluui. Hinc & pessaria parari possunt.

Aliud mire utile.

- ℞ Rosarum rubearum ʒ s.
 Thuris,
 Mastiches,
 Myrrhae,
 Sanguinis draconis,
 Boli Armeniae,
 Myrtillorum, ana ʒ. ij.
 Styracis calamitæ ʒ j.

Ladani

Ladani ꝑ s.
 Ambræ,
 Musci,
 Ligni aloes,
 Caryophyllorum,
 Balsami artificialis,
 Spicæ nardiana ꝑ s.

Terenda terātur, & prædicto modo trochisci fiant, quorum per embotum ꝑ. s. suffiatur.

Veteribus quibusdam pro uero quasi receptum erat, mulieres quæ radicibus aristolochiæ cum assata uitulina carne sapius uescerentur, certò ferè masculam sobolem concipere posse.

Sed ex recētioribus plures talia pessaria septimo die *Pessaria* post mensium diffluxum pro cōceptu rectificando supponere admonent.

℞ Radicis gentianæ,
 Croci,
 Myrtillorum,
 Aloes, ana ꝑ. ij.
 Olei lini q. s.

Et fiat pessarium, cuius usum paucis diebus conceptum sequi perhibent.

Galenus autem castoreum recens & piper quoduis xij. granorum hordei pōdere sumptum, succo pulegij mixta, in uino cretico uel maluatico bibere consulit. Idem ille matricem leporis siccata & tritam in uino maluatico sumptam, probari quibusdam refert. Sed recentioribus nonnullis medicis præscripta suffumigia plurimum probari certum est. Horum etiā dum mentionem facimus, nihil nobis cum uetularum quarundam prestigijs, & dæmoniis circa hanc rem artibus rei esse, omnibus

notum esse cupimus. Sed hactenus de ijs quibus externe sterilitas auerti, & foecunditas iuari potest; dixisse sufficiat.

Interna foecunditatis adiumenta. Restat & de ijs pauca dicere quae interne adhiberi possunt. Quia enim coniugum foecunditas, Veneris fastidio, & impraegrandi impotentia, seminumque infirmitate, uel naturae uitio, uel malarum artium prestigijs contracta, plurimum impediri potest, omnia haec quomodo corrigenda sint sequentium medicamentorum praescriptis formulis exponemus.

Puluis. Puluis autem huic rei accommodus primū talis fiat.

℞ Testiculorum uulpis,
 Castorei,
 Matricis leporis aridae, ana ʒ. ij.
 Zingiberis ʒ i.
 Galangae,
 Piperis longi, ana ʒ. ij.
 Sacchari pro pondere omnium.

Misce & fiat puluis, de quo plenum cochleare unū singulis diebus mane & uesperī cum uīno maluatico sumendum.

Electuarium. Electuarium etiam multum probatum, uiris foeminisque perutile, singulis diebus mane ieiunis uesperique cibum ituris pondere auellanae nucis sumendum, hoc modo erit parandum.

℞ Testiculorum uulpis mundatorum ʒ vj.
 Cicerum rubeorum,
 Menthae,
 Satureiae,
 Erucae syluestris,
 Radicis acori,
 Pastinacae syluestris,

Radiciſ gladioli,

Meliſſæ,

Naſturtij,

Ozimi,

Pulegij,

Vrticæ,

Fœniculi, ana ꝑ ij.

Omnia bene mundentur, et in diuino lacte decocta quam optime piſtentur, & ad præparationem huius electuarij conſeruentur. Deinde

℞ Ex cerebris columbarum,

Gallarum,

Gallorum,

Paſſerum,

Anatum,

Faſianorum,

Teſticulorum tauri,

Hirci ſalacis,

Gallorum,

Aprorum, ana ꝑ iij.

Similiter ouino lacte decoquantur, & decocta, modico butyro recenti cum duorum ouorū uitellis ſubigantur, & in patellis ſucceſſiue aſſentur. Quo facto

℞ Amygdalarum dulcium,

Nucum auellanæ,

Nucleorum communium,

Nucum pinearum, omnium mundatarum

& aliquantulum aſſatarum, ana ꝑ j.

Medullæ nucis Indicæ,

Dactylorum pinguium, ana ꝑ j. ſ.

Omnia hæc incidantur, & ultima contritione conterantur. Tandem

- ℞ Priapi tauri sicci,
 Seminis erucæ, ana ʒ ʒ.
 Seminum anisi,
 Bauciæ,
 Asparagi,
 Fraxini,
 Appij,
 Petroselinii,
 Raphani, ana ʒ. ij.
 Piperis longi,
 Zingiberis, ana ʒ. iij.
 Radicum satyrj utriusq;, ana ʒ ʒ.
 Caudæ scincorum ʒ. v.
 Caudæ lacerti ʒ. j. ʒ.

Terantur omnia hæc in puluerem subtilissimum. Præparatis autem omnibus, electuarium cõfice cum sacchari ℞. vj. de pasta prædictorum ℞. ij. sumptis; uel cum mellis despumati ℞. iij. & prædictæ pastæ ℞. ij. ʒ.

Vnguentū Vnguentum in eundem usum quo genitalia & lumbi perungi possint, tale parari poterit.

- ℞ Olei de ouis formicarum,
 Castorei,
 Vulpini,
 Costini,
 Galangæ,
 Sambuci, ana ʒ ʒ.
 Petrolei,
 Olei Spicæ odoriferæ, ana ʒ. ij.
 Radicum piperis,
 Pyretri,
 Euphorbij,
 Castorei, ana ʒ. ʒ.

Seminis

Seminis erucæ,

Cepæ, ana ʒ. j.

Mixta omnia cum cera alba & adipe gallinarum q. s.
decoque, & unguentum ex illis confice.

Aqua ad eundem usum talis fiat.

Aqua.

℞ Ouorum formicarum ʒ v.

Nucis Indicæ,

Scinci transmarini,

Caudæ lacerti,

Amygdalarum dulcium,

Pinearum,

Seminis erucæ, ana ʒ j.

Vrticæ,

Radicis fatyrj utriusq̃,

Hermodactylorum,

Piperis longi & nigri, ana ʒ ij.

Muscî ʒ j.

Vini optimi albi,

Vini sublimati ana mens. j.

Misceantur & infundantur hæc omnia, & xiiij. diebus
ad solem exposita destillentur. Hac aqua si uti uolueris,
℞ ʒ s. cum electuario Diasatyrion ʒ j. mixtaq̃, mane
& uesperi bibito bene calida.

Probantur & hæc pilulæ uesperi sumptæ.

Pilulæ.

℞ Seminis erucæ,

Raphani,

Petroselini,

Vrticæ,

Satureiæ, ana ʒ. j.

Testiculorum uulpis,

Priapi tauri, ana ʒ. ij.

Caudæ scincorum,

Lacertorum, ana ʒ. j.
 Cerebrorum passerum,
 Anatum,
 Gallorum,
 Columbarum, ana ʒ. f.
 Piperis,
 Galangæ,
 Piperis longi, ana ʒ. j. f.
 Radicum fatyrîj utriusq; ʒ. f.
 Euphorbîj,
 Castorei, ana ʒ. j.

Terantur omnia in puluerem, subigantur cum melle, fiantq; pilulæ quarum dosis sit ʒ. ij. uel ʒ. j.

Electuarium aliud.

Electuarium aliud ad idem mane & uesperî quantitate nucis castaneæ sumendum, hoc modo parabitur,

℞ Radicum fatyrîj ʒ. f.
 Dactylorum ʒ. iiij.
 Menthæ,
 Zingiberis conditi,
 Iniubarum, ana ʒ. iiij.

Misceantur omnia, lacte ouino decoquantur, & solito more pistentur. Quo facto, deinde

℞ Testiculorum gallorum,
 Verris uel tauri,
 Hirci salacis,

Eadem hæc lacte ouino decoquantur, modico butyro recentî & duorum ouorum uitellis subigantur, & successiue in patella assentur. Post quæ

℞ Mellis despumati ʒ. ij. f.
 Sacchari tabarzeth q. f.

Coquantur hæc omnia successiue, & bene coctis sequentes misceantur pulueres.


℞ Pudendi

R Pudendi tauri,
 Hirci,
 Seminis erucæ, ana ꝑ j. l.
 Galangæ,
 Zedoariæ, ana ꝑ j.
 Cinamomi,
 Zingiberis,
 Piperis longi,
 Seminis fraxini, ana ꝑ. vj.
 Seminis mercurialis,
 Seminis maluæ, ana ꝑ f.
 Medullæ nucis Indicæ,
 Pinearum mundatarum,
 Amygdalorum dulcium, ana ꝑ j.

Omnia hæc in puluerem redigantur, & præscriptæ decoctioni misceantur, fiatq; electuarium. Iam & hæc de intrò recipiendis sterilitatis medicaminibus sufficienter dicta sint.

C A P V T V I I I.

De suffocatione matricis, eiusq; causa, signis & cura.


 ESTAT de potissimis matricis ægritudinibus, quæ sterilitatem inducendî, conceptumq; & generationem prohibēdi uim præsentissimam habent, deinceps pauca quoq; dicere, quales in primis sunt, matricis suffocatio & præcipitatio, mensiumq; fluxus nimius, eorundemq; retentio. Sed de prima primo dicendum erit.

Suffocationem matricis, non naturalem, sed uentosis ^{Suffocatio}uarijsq; uaporibus corrupta materia natis, coactū ipsius ^{matricis}matricis ascensum uersus diaphragma dicimus, quo fit ^{quid.}ut pulmone arterijsq; cordis compressis, aeris meatus

intercludatur, pulmoq; debita & solita dilatatione prohibeatur. Hac ipsa autem ægritudine, anhelitus rarefcit, cerebrum infestatur, cor constringitur, pulmo comprimitur, sensus motusq; cessant, intercipiuntur spiritus, negant officium membra corporis, unde fit ut syncopæ eueniant, deliquia repentina obruant, & nonnunquam uita corde suffocato spoliēt: à quo effectu nomen hoc Latinis accepisse creditur.

Causæ. Causas huius nisi præter naturam detentos menses, corruptumue semē, uel alios in matrice deprauatos humores conclusos in uentositatem dissolutos, eorūq; matricem sursum impellentes, alias dicere non possumus.

Signa. Signa eius ægritudinis duplicia sunt, præsentis quidem ex præsentī paroxysmo; futuri autem, ex futuri pa-

Præsentis paroxysmi signa. roxyismi petita notis. Præsentis autem ægritudinis per præsentem paroxysmum notæ, signa hæc sunt. Anhelitus mulierum rarus, pulsus arteriarum paucus, manus illarum uentri supra umbilicum pro deprimenda sursum tendente matrice continuè affixæ, curua habitudo corporis, color palidus, responsum nullum, intellectus sine uoce uiuidus, motus corporis nullus, similitudo mortis præsentissimæ.

An uero uita in tali ægritudine præsentis paroxysmi, adhuc in corpore supersit, his experimentis licebit assequi. Plumæ uel lana pura eius quæ paroxysmū patitur ori imponantur, quæ si diffentur aut saltem moueantur, uitam adhuc inesse certum erit. Certius autem erit, uistrum aqua plenum pectori eius imponere, reliqua enim adhuc uita, pectus dilatari necesse est, & aquæ motum cōsequi. Vel, speculum purum politumq; ori naribusq; eius imponendum, & præsentī adhuc uita speculum propter calidum halitum insici uidebis; quod experimentum

mentum ex omnibus uidetur esse probatissimum. Perhibent autem quidam, quandam tribus cōtinuis diebus noctibusq; hoc paroxysmo laborasse, mortuamq; creditam post tātum tempus tandem ad se rediisse. Nos uno naturali die, horis inquam 24. contiguīs, idem in quibusdam mulieribus propter suffocationē matricis, euenisse uidimus.

Futurum autem paroxysmum signa hæc præcedunt, *Futuri paroxysmi signa.* scilicet, dolores capitis, oculorum uertigo, pulsus cordis cōtinui, anhelitus difficiles, rationis propter uapores spirītibus mixtos perturbatio, membrorū omnium debilitas, sudores frigidi, dolor in utero cōtinuus. Omnia autem hæc retenti & conclusi in matrice mali humores pariunt, partim proxima, partim uero remota, ut cerebrum aliaq; infestates corporis membra, intercludendo uitalem à corde profectum calorem, donec omnes sensus simul & uires suffocent atq; perimant.

Cæterū in cura præsentis ex ægritudine paroxysmi, *Cura præsentis paroxysmi in suffocatione matricis.* primum salem aceto miscebis, & membrorum extremitates ea mixtura fricabis, pedum inquam soleas, & manuum palmas, brachiorumq; pulsus. Deinde ligamentis circa pectinem, coxas & poplites adstrictis, uentosas sine scarificatione iuxta adhibebis. Postea quæcunq; tetri foetoris sunt incensa naribus eius applicabis, ueluti castoreum, assam foetidam, plumas, crines, corium, cornu, ungulas, & quæ his sunt similia. Hæc enim animalem spiritum sopitum, impellunt & commouent, qui mox tanto foetore impulsus, per neruos & organa ad cerebrum festinans, motiuam uirtutem in eo excitat. Hic autem tanto foetoris impetu motus, ad cor cum animali spiritu se recipit, ubi utriq; simul retentam sopitamq; uitalem uirtutem in eo reparant. Omnes tandem coniuncti, ma-

trici ad diaphragma ascendenti se opponūt, eiusq̄ uim
expulsiuam stimulant, ut expulsis qui in ea sunt corru-
ptis humoribus, matrix se demittat, & superioribus ui-
talibus organīs locum patulum præbeat. In hoc casu
merda caballi auena nutriti uino optimo decocta, bene
calida pota, multum probatur. Diacastorei quoq̄ ʒ. ʒ. in
iufculo ex gallina decocta, sumpta.

Unguentū Unguentum etiam quo genitalia eius quæ hanc syn-
copen patitur interius perungi possint, tale præparari
potest.

℞ Musci ʒ j.
Galliæ muscatæ ʒ. j.
Olei liliorum ʒ ij.
Misce & fiat unguentum.

Suffumig. Suffumigia quoq̄ ex quibus suffitus ad nares dimitta-
tur sic parata proderunt.

℞ Castorei,
Galbani in aceto soluti ana ʒ f.
Sulphuris ʒ j.
Assæ foetidæ ʒ. j.

Si suffumigia uel trochiscos parare uolueris, cum oleo
de castoreo conficies. Si autem cum aceto uti uolueris,
lanam purā aceto in quo hi pulueres dissoluti sint, mer-
sam, naribus eius inferes uel applicabis exterius.

Quod si autem ægritudo hæc uel à retentis mēsisibus,
uel corrupto semine prouenerit, curari eo modo poterit
quem sequentibus capitibus exponemus.

Quod si ex nimia frigiditate huius ægritudinis causa
extiterit, consultissimum erit post debitam expurgatio-
nem factam thermis calidioribus uti, quales in primis
Helueticæ existunt, certa diata lauandiq̄ ratione à peri-
to medico præscripta. Quia enim multo sulphure &
nonnullo

nonnullo ea aqua constat alumine, facilius resoluit, frigiditatem dispellit, matricē calefacit, reliquaq; muliebria membra confortat.

C A P V T IX.

De Præcipitatione matricis, eiusq; causis & cura.



ATRICIS præcipitatio est ipsius matricis à suo naturali loco in aliū quempiam locum discessus & digressio, uel per genitale membrū progressus & eminentia. Contingit hæc, aut propter casum, percussionem uel aliam læsionem uehementem aliquā, aut propter conclusam in ea uentositatem uel humores corruptos, aut propter humiditatem nimiam ligamenta ipsius putrefacientem, uel propter abortus & partus difficultatem obstetricumq; negligentiam, uel uiolentā secundarum extractionem, qua fit ut ipsius ligamēta rum pantur, & ad exitum matrix præcipitetur. Variè hæc dimotio fit, in latus inquam dextrū aut sinistrum, aut inferius, & in anteriorem posterioremq; corporis partē.

Præcipitatio matricis quid sit.

Causæ autem huius egritudinis licet ex præmissis his facile æstimentur, adhuc tamen in externas & internas diuidi possunt. Externæ sunt, casus, percussio, læsio, magni ponderis eleuatio, cursus uelox, saltatio, equitatio intempestiua, exercitium omne nimium, & quæ his sunt similia. Item, super terram gelidam uel pauimentum frigidum diuturna sessio, in frigida aqua mora longior, frigida potus nimius & frequentior. Impetuosa quoq; infantis proruptio, partus difficilis, obstetricum importunitas, secundarum uiolēta extractio, tussis frequens, clamor ingens, sternutatio uehemens, tenesmus constringens; quæ omnia præcipitandæ matriçi facile adminicula præbent. Internæ sunt, menstruorum longa retētio;

Externæ causæ.

Internæ causæ.

quorum pōdere matrīx degrauata, ruptis sæpe ligamentis in præceps descendit; conclusi humores, uentositas impellens illamq; suo loco dimouens. Ipsa quoq; matrīcis nimia humiditas, ligamenta putrefaciens, & ad exitum ea tabe impellens.

Signa.

Causis non absimilia huius ægritudinis signa sunt. Externarum causarum signa quæcunq; hanc ægritudinem patitur facile referet. Interna uero se pro ratione dimotionis matrīcis habent. Si enim sint præfocatione sursum diaphragma uersus uergat, dolores & grauedines supra umbilicum sentire, massam rotundam globi instar in uentre tangere, & cita suspiria singultusq; quasi intestina eius uelociter manu compressa sint, in muliere obseruare licebit, uertigine oculorum, capitis doloribus, cibi fastidio & eructationibus frequentibus præcedentibus & concomitantibus: interdum & sonitu uentris audito, maxime cum à conclusa uentositate ea dimotio orta fuerit. Ad inferiora autem si se præcipitem derit, tūc dolores plurimi circa renes, lumbos & pudenda erunt, massaq; rotunda in collo matrīcis tactu obseruabitur, qua uesica & rectum intestinū ita comprimuntur, ut & urinam & excrementa difficile sit excernere: urina quoq; alba & spissa erit, lurida in fundo uel nigra collecta fece: pulsus ferè nullus, mollis, tenuis, crassus & inordinatus. Quod si matrīcis humiditate nimia, ligamenta eius putrefacta sint, ita ut ea causa ad exitum ipsa præcipitata sit, hoc nullo dolore fieri tenendum est: cum autem ita habet, foetida putridaq; tabes continue è matrice profluit. Difficultate partus si contigerit, per pudenda quidem in uniuersum se non exeret, sed labrius maioribusq; exercitijs impulsu procurret, et inter labia compressa magnos dolores mouebit. Omnes autem

hæ

hæ ægritudinis huius conditiones diligenter obseruanda sunt, ut eo commodior in cura adhibenda progressus fiat.

Superest iam de cura quoq; quantum cognoscere & *Cura suffocationis matricis.* ex alijs utiliter colligere licuit, admonere diligentius. Quod si sursum matrix sine præfocacione dimota fuerit, faciliter in suum locum, embotis, fomentis, rebusq; alijs repellendi uim habentibus, reduci poterit, ut ex tractatione superioris capituli de suffocacione matricis luculenter patuit. In latus uero dextrum si concesserit, ex opposito latere uentose sine scarificatione apponenda sunt. Ligaturæ quoq; ex panno aliquoties complicato fiant, inferto fasciculo ex talibus rebus medici alicuius dictamine composito, quæ matricem impellendi uim habeant. Ea ligaturis inclusa, ei in quod matrix dimota est lateri alligentur, & super ea hanc infirmitatem passa mulier decumbat, eiusq; repellendæ periculum faciat. Ea autem erunt, melissa, chamæmala, artemisia, melilotus, ruta, & quæ his sunt similia.

De sequenti autem puluere uacuo adhuc uentriculo *Puluis.* singulis diebus mane cochlear unum plenum cum uino bene calidum sumere debet.

℞ Florum & baccarum lauri,
Cornu cerui usti, ana ʒ. ij.
Myrtillorum ʒ. ij.
Aristolochiæ rotundæ ʒ. j.
Misce & fiat puluis.

Vel aliter.

℞ Nucleorum persicorum numero XII.
Dissolue cum uitellis ouorum trium, Deinde
℞ Cinamomi,
Baccarum lauri,

Aristolochiæ rotundæ, ana ʒ. j.

Dicamni ʒ. s.

Nucis muscatae ʒ. j.

Croci ʒ. s.

Misce cum uino & saccharo q. s. ossa autem hinc decoquatur, quam uacuo adhuc uentriculo bene calidâ mulier comedat. Mire enim restituendę matriçi seruit, eiusq; dolores mitigat.

Quod si autem deorsum præcipitata sit & per pudenta promineat, primum clystere cõuenienter alui excrementa prouocanda, exonerandaq; uesica similiter, uterur autem balneo sequenti emolliendus, ut facilior matriçi regressus fiat.

℞ Artemisiæ,

Chamæmalis,

Maluæ utriusq; cum radicibus,

Fœnogræci,

Baccarum lauri, ana M. j.

Misce, & fiat balneum.

Balneo quotiescunq; exierit; matrix calidis foueatur pannis, & uiscositate ex granis cydoniorum aqua acacię mollitis confecta perungatur, ut lubrica sit in recursum. Asperfo deinde sequenti puluere, calido panno fota in uterum remittatur.

℞ Succiacaciæ ʒ. ij.

Myrtillorum,

Balaustiorum,

Rosarum rubearum ana ʒ. j. s.

Misce & fiat puluis.

In cura autem huius ægritudinis, mulier supina decumbat, natibus mediocriter surrectis, ut præcipitata matrix eo commodius in uterum repellatur. Reducta illa, exporrectis

porrectis cruribus iaceat, utrum autem amplū uel uentosa plures iacentis uentri adstringantur, & quæcunq; boni iucundiq; odoris sunt, ueluti ambra & similia, naris eius adhibeantur, ut percepti odoris suauitate matrix sursum trahatur. Iacenti etiam suffitum facies, qui *Suffitum.* solum ad matricem eius, ad nares uerò nequaquam perueniat.

℞ Succī acaciæ,
 Ossis sepiaë,
 Balaustiorum,
 Radicum bistortæ,
 Gallarum,
 Nucum cupressi,
 Myrtillorum uel foliorum eius ana ʒ ʒ.
 Mastiches,
 Olibani, ana ʒ. iij.
 Assæ foetidæ ʒ j.
 Misce, & fiat puluis.

Post suffitum hunc matrix spongij calidis sequenti decoctione meris & successiue applicatis fouenda erit.

℞ Myrtillorum, M. j.
 Rosarum rubearum,
 Glandium,
 Balaustiorum,
 Acaciæ, ana M. f.

Misce & fiat decoctio cum uino rubeo usq; ad partem tertiam.

Postea hoc pessario uti proderit.

Pessariū.

℞ Assæ foetidæ ʒ j.
 Mastiches ʒ. ij.
 Myrtillorum,
 Thuris,

Gallarum,

Nucuum cupressi ana ʒ. j. ʒ.

Misce cum oleo myrtilino, & fiat pessarium ex pura lana, longitudine & crassitudine unius digiti, serico obductum.

Experimentum etiam ualde utile hoc probatur. Alium contusum in aqua ita dissolue ut nihil spissitudinis reliquum sit, ea aqua prominens matrix lauetur, sequentiq; conspersa puluere in uterum remittatur.

℞ Pinearum combustarum,

Cornu cerui usi,

Thuris,

Mastiches ana ʒ. j.

Misce & fiat puluis.

Quomodo
retinenda
matrix re-
pulsā in
uterum.

Reducta iam in uterum matrice & in locum suum reposita, uentosis utendum, & quæcunq; ipsam trahendi retentiuam uim habent. Pro certo experimento quidam hoc agnoscunt: urticas bene contusas emplastri uice uentri imponere, neq; cito inde dimouere, sic enim matricem & retrahi, & reductam usq; retineri.

Balneum.

Sed ut in uterum reducta maneat, neq; statim in præceps iterum ruat, sequentibus præceptis confirmari debet. Primò, toto die post restitutionem matricis mulier supina recumbat. Postridie uerò balneo his herbis cocto circiter horæ unius spacio insideat.

℞ Rosarum rubearum,

Myrtillorum,

Seminis sumach,

Foliorum mespilii,

Sorbellorum,

Corticum quercus,

Glandium,

Origani,

Origani,

Saluæ,

Rutæ,

Consolidæ maioris, ana M. j.

Misceantur & conquassentur omnia, & in aqua pluuiæ
li uel in qua ferrum candens extinctum sit, decoctio uel
balneum fiat.

Balneo egressa hunc puluerem uino bullitum bene cali- Puluis
dum bibat.

℞ Rutæ,

Artemisiæ ana M. f.

Castorei ʒ. ij.

Misce & fiat puluis. Tunc

℞ Vini albi optimi q. f.

Cola, & colaturæ adde

Methridatis ʒ. ij.

Et fiat potus calidus.

Postea genitalia nouem continuis diebus fomentanda,
iuxtaq; utendum pessarijs.

Decimo autem die emplastrum sequēs super coriū al Emplastrū
bum diductū infimę uentris parti imponendum, conti-
nueq; aliquot septimanis illic relinquendum. Cerotum
autem uel emplastrum sic fiat.

℞ Thuris,

Mastiches,

Opopanacis,

Terebinthinæ,

Galbani,

Serapini,

Resinæ pinus,

Syracis liquidæ,

Colophomiæ ana ʒ. ij.

Ceræ citrinæ ʒ. iij.
 Misce & fiat cerotum.
 Vel aliter.

℞ Galbani ʒ. i.
 Galliæ muscatæ ʒ. j.
 Caryophyllorum ʒ. i.
 Resinæ pini &
 Colophomiæ q. s.
 Misce & fiat cerotum.

Præterimus hic de industria nec sine magna causa, quidam quod solis doctioribus & peritioribus in hac cura notum est, quod ab illis quotiescunq; opus fuerit, peti poterit.

Notabis porro, quod quando prædicta ægritudo à frigiditate, viscositate, uentositate uel nimia matricis humiditate orta fuerit, eo modo omnino procedi debere quæ supra de mola uentosa & aquosa, tympaniti inquam & hydrope differentes, præscripsimus.

C A P V T X.

De superfluitatibus menstruorum, & eorundem cura.



VEM AD MODVM præter naturam menses retineri possunt, ita præter naturam quoq; fluere nimium; & ut ex retentis, ita ex abundantibus quoq; ægritudines mulieribus, Hippocrate monente, possunt cõciliari plurimæ. Vt autem naturalis mensium fluxus, quem menstruam purgationem aliàs dicimus, in mulieribus bene corpore & ætate dispositis naturaliter luatione quauis fluere debet, à tertio inquam aut quarto post nouilunium die ad octauum usq; circiter (licet & hic multa sint discrimina ætatũ, complexionum & habitudinũ corporum;) ita non naturalem fluxum

Fluxus mensium non naturalis.

xum dicimus, si modo dictum tempus excefferit. Hunc autem dupliciter contingere, id est, externis & internis de causis euenire uidemus.

Extrinsece causæ hæ sunt, ueluti si uenula aliqua rum ^{Externæ} patur in orificio aut collo matricis propter nimium ali- ^{causæ.} quod exercitium uel lesionem subeuntem, puta subleuationem nimiam, percussionem, casum, impetū aut exulcerationem. Ex abortu quoque partuque difficili & matricis hulceribus tale quid potest contrahi. Cōtingit tamen aliquando tales fluxus in prægnantibus obseruari singulis mensibus, quibus tamen neque debiliores fiant, neque uilum infanti alimentum subtrahant.

Intrinseca causæ aut ex natura ipsa aut sanguine æstigmantur. Ex natura, cum ea robustior sanguinem expellit, debilior autē, retinere nequit. Ex sanguine ipso, cum aut nimium calidus & acutus, aut nimium frigidus & tenuis existit; rursum quando otio nimioque cibo & potu, nimia sanguini alimenta præbentur.

Signa autē certa occurrūt, quibus an externa uel inter- ^{Signa can-} na de causa, pueniant, certò deprehēdi possit. Si externa ^{serum.} de causa, ueluti ex uena rupta, propter nimium aliquod exercitiū, lesionem aut casum contigerit, sanguinis color primo rubens, mox uerò niger & luridus erit. Si statim diffluat, natiuo colore apparebit; retētus autē aliquandiu in matrice, tetro crassoque colore prodibit; si diutius illic manserit, totus saniosus erit. Si autē propter hulcera matricis sanguis fluxerit, primum clarus & tenuis, mox uerò sine omni dolore saniosus erit. Si naturæ uirtus robustior expellat, tam sine dolore fiet, ut corpus etiā alleuetur insuper, eò quod natura non plus excernit nisi quod in qualitate aut quantitate abundat. Si propter defectum retentiue uirtutis contigerit, guttatim, paula

tim & inordinate sine intermissione fluet, ea uero quæ hunc fluxum patitur pallida, macilenta, membrisque penitus dissoluta fiet, ipse autem sanguis natiuum colorem retinet, diffluensque non urit, mordet aut doloribus infestat. Huius autem causæ fluxus mulieribus ut plurimum annum iam 50. superantibus accidit, quando menses ipsarum recedunt in uniuersum. Iunioribus cum accidit, ex uehementibus paroxysmis tertianæ, quartanæ & cephalæ plarumque contingit. Hæc enim natiuam uirtutem dissipant, talemque fluxum facilius inducunt. Si à caliditate aut acrimonia sanguinis prouenit, ipse fluxus officium matricis mordet, urit, inflamat & corrodit. Hunc fluxum patiens, sitim patitur maximam, labiaque eius fissuris infestantur, ex acutissimis & calidissimis sanguinis uaporibus sursum halantibus, enatis. In papillis mamillarum dolores sentiuntur maximi, propter earum cum matrice affinitatem. Sanguis croceus & niger est, nec copiose fluit, licet impellatur uehementius. Si propter subtilitatem & tenuitatem sanguinis oriatur, sanguis ipse purus & clarus est, fluxus uero modicus. Si mixtus calor fuerit, in matrice aliisque notis obseruabitur facile: si mixtum frigus, obseruabitur itidem. Si propter liquiditatem fluidus extiterit, causa huius est male disposita habitudo corporis, & concoctionum debilitas, ex abundantia multarum humiditatum & uentositatum in matrice conclusarum contracta. Quod si autem de humore fluxum impellente certam cupis tenere notitiam, pannum lineum leuiter sanguini menstruo intinctum respice. Huius color si ad rubedinem deflectat, à sanguine: si ad citrinitatem à bile: si ad albedinem, à phlegmate: si uero ad nigrum, à melancholia, fluxus causam esse scias.

Qui fluxus
restringendi.

Notabis porro, ubi fluxus tolerabilis extiterit, qui corpus

corpus non emaciet nec debilitet, sed alleuet agiliusq; reddat, uirtute naturali hunc impelli, hoc tantum quod in sanguine nimium est excernente, eoq; fluxum hunc restringi non debere. Si uero contrarium fiat, omnino restringendus est, ne ad febres biliosas & cholicas propellat, eò quòd euacuato sanguine bilis dominatur & exultat, & freno suo liberata, indomita molestat. Sanguis enim, ut uulgo dicitur, cholerae frenum existit. Quia, uero etiam naturalis calor sanguine nutritur atq; fouetur, eo diffluente, necessarium est caloris quoq; defectum sequi, eoq; omnia membra frigesce, totum corpus debilitari, appetitum uniuersum tolli, concoctiones impediri, tabem & hydropem, nec non alios quoq; miserissimos morbos tandem consequi.

Quia uero non sufficit ægritudinis tantum diuersitates nouisse, nisi & de conuenienti cura repellendi constet, deinceps de cura quoq; horum, quæ delectissima uidentur esse, pauca ex multis, afferemus. Quemadmodum autem internæ & externæ horum fluxuum causæ sunt, ita etiam interna & externa cura erit.

Et primum quidem, si externa aliqua de causa fluxus contigerit, ante omnia diæta omniumq; rerum externarum usus ad frigidum & siccum pro minuendo sanguine instituendus erit. Multum itaq; proderit lacte uel aqua, in qua chalybs extinctus sit, omnes conuenientes cibos decoquere, & caulibus cum lentibus aut fabis decoctis uesci. Vel si placet, talis decoctio qua reliqui deinceps cibi decoquantur, primum parari poterit.

Interna cura fluxuum non naturalium.

℞ Foliorum plantaginis,
 Florum uerbasci cum folijs, ana M. j.
 Radicum symphyti, id est
 Consolidæ maioris ʒ. j.

Misce, & cum aqua uel lacte ferro extincto decoque, cola & exprime. Ex hac decoctione omnes alij cibi parari poterunt, ueluti amygdala, lentes, faba, milium, oryza, amyllum & similia. Ex carnibus affatae praelixis proderunt. Embammata quoque ex succo de ribes, acetosa & berberis parari, reliquisque cibis misceri poterunt. Aromatibus, omnibusque quae calidioris naturae sunt, in primis uero croco abstinere. Vinum rubeum crassum bibat, aqua chalybeata lymphatum. In eo uino aurum quoque saepius extingui proderit. Exercitium nullum sit, quies uero altissima. Somno multo utatur, Venere in uniuersum, uti praesentissimo ueneno abstinere. Constipata ex diutino fluxu aluus, modico clystere laxari poterit. Fluxum autem, nisi debilitatem aliquam induxerit, nullo modo refringes, ne naturae superflua sponte excernenti te malo molimine opponas.

Quando
et quomodo
refringendus
fluxus.

Ceterum quando necessitas postulauerit, tum demum fluxum hunc astringere proderit. Primum autem hoc puluere uteris, de quo 3. j. cum aqua in qua aurum extinctum sit, una dosi ebibendam dabis. Puluis autem sic parabitur.

℞ Terrae sigillatae,
Carabe,
Succi acaciae, ana ʒ i.
Hypocisthidos,
Cornu cerui loti & usti,
Coaguli hœdi uel leporis, ana ʒ. ij.
Corallij rubei preparati &
triti ʒ. j.
Gummi Arabici,
Costi,
Sanguinis draconis,

Boli

Boli Armeniæ præparatæ, ana ʒ. j. ſ.
 Confoldæ maioris,
 Florum cydoniorum,
 Corticum granatorum, ana ʒ. j.
 Margaritarum præparatarum ʒ j.
 Mumix ʒ. ſ.
 Myrtilorum,
 Olibani, ana ʒ. j.
 Lapidis hæmatitæ,
 Radicum nenufaris, ana ʒ. j. ſ.
 Miſce omnia, & fiat puluis.

Sequentem etiã hunc puluerem in ouo comedẽdum non inutiliter dabis.

R̄ Boli Armeniæ præparatæ,
 Terræ ſigillatæ,
 Sandali rubei,
 Antheræ, ana ʒ j. ſ.
 Corticum granatorum,
 Capıtum glandium,
 Nucis muſcatæ, ana ʒ. ſ.
 Miſce & fiat puluis.

Vel electuario hoc mane & ueſperi utatur.

R̄ Antidoti Athanaſiæ,
 Mictetæ, ana ʒ j.
 Conſeruæ roſarum ueteris ʒ j. ſ.
 Corticum granatorum,
 Capıtum glandium,
 Nucis muſcatæ,
 Coralli rubei & præparati ana ʒ j. ſ.
 Margaritarum præparatarum ʒ ſ.
 Terræ ſigillatæ, ʒ. ſ.
 Sanguinis draconis,

Boli Armeniæ præparatæ,
Lapidis hæmatitæ, ana ʒ j. Misce
cum syrupo granatorum q. s. &
fiat electuarium. Adde si opus sit
philonij persici ʒ. j.

Contra sitim autē aqua chalybeata syrupo cydoniorum
& granatorum, & succo de ribes & acetosæ simplicis
mixta, pro potu erit præparanda.

Composita
medicami-
na.

Quia uero in restringendo hoc fluxu ut plurimum
compositis ueteres medici non sine laude uti consueue-
runt, deinceps ex his quoq; nonnulla afferemus.

Electua-
rium.

Electuarium ante omnia parabis, de quo ʒ s. singu-
lis diebus mane uacuo adhuc uentriculo mulieri hunc
fluxum patienti in uino rubeo chalybeato dissolutam
præbebis.

ʒ Radicum consolidæ maioris &
plantaginis q. s.

Hæc bene cocta pistentur, & per pannum equinis setis
confectum colentur, deinde

ʒ Pastæ consolidæ ʒ ij. s.
ʒ Radicum plantaginis ʒ j. s.
ʒ Sacchari ʒ. j.

Saccharum in aqua pluuiali uel ferrata dissolve, uel in
aqua plantaginis in qua hæmatites lapis ad rubedinem
usq; dissolutus sit subige, mixtaq; omnia paruo lentoq;
igni decoque, decoctis autem & infrigidatis parumper
subscriptas species adijce.

ʒ Sanguinis draconis,
ʒ Succū acaciæ,
ʒ Seminis sumach,
ʒ Terræ sigillatæ,
ʒ Carabe,

Cornu

Cornu cerui ussi & loti ana ʒ. j.
 Margaritarum præparat. ʒ. iiij.
 Coralliꝝ rubei præparati ʒ. j. s.
 Spodij,
 Lapidis hæmatitæ,
 Seminis apij, ana ʒ. ij. Trita
 misce, & in forma solida electuarium in buccellas diui-
 dendum confice.

Vel aliud electuarium hoc modo præpara.

℞ Conseruæ rosarum antiquæ ʒ. j.
 Diacydonion cum saccharo sine
 speciebus ʒ. iiij.
 Diarhodon specierum albath
 Coralliorum rubeorum præparatorum
 & tritorum ʒ. iiij.
 Margaritarum præparat. ʒ. j.
 Trochiscorum de carabe,
 de terra sigillata, ana ʒ. ij.
 Spodij,
 Lapidis hæmatitæ,
 Mumia ana ʒ. s.

Misce cum syrupo granatorum, & fiat electuarium de-
 auratum, de quo singulis diebus mane & uesperis portio
 nucis castaneæ quantitate sumatur, & è uino rubeo cha-
 lybeato dissoluta bibatur.

Pilulas etiam sequentes singulis diebus ieiuno adhuc ^{Pilula.}
 uentriculo septem semper una dosi acceptis, sumere
 licebit.

℞ Mumia,
 Thuris,
 Mastiches,
 Cornu cerui ussi & loti, ana ʒ. s.

Coaguli leporis uel hœdi ʒ iiij.

Misce cum aqua plantaginis in qua dissolutum sit gummi Arabicum, & formentur pilulæ ad modum cicerum.

Laudat in hoc casu Mesue etiam pilulas de bdellio maiores & minores dosi ʒ. j. sumendas. Profunt tamen et hæ sequentes pilulæ.

℞ Terræ sigillatæ,
Boli Armeniæ præparatæ,
Gallarum,
Sanguinis draconis,
Coaguli hœdi, ana ʒ. j.
Camphoræ ʒ ij.

Misce & cum syrupo myrtino pilulæ fiant, quarum dosis sit ʒ. j.

*Externa
cura.*

Non minus iam externæ quoque curæ foris adhibendæ quàm internæ hæctenus pertractatæ ratio habenda est. Multa enim sunt quæ externe adhibita mire fluxibus his curandis inseruiant. Primum autem encathismus talis est parandus.

Encathismus.

℞ Caudæ equinæ,
Foliorum mori,
Pirorum,
Prunellorum,
Sarborum,
Mespilorum,
Corticum interiorum quercus,
Rosarum rubearum,
Virgæ pastoris, ana M. ij.
Gallarum,
Myrtillorum, ana ℥. j.
Mespilorum,
Sorborum,

Capitum

Capitum glandium, ana ꝑb. ij.

Misce, & ex omnibus aqua ferro extincta decoctis encathismus fiat.

Si encathismo hoc uti commodum non sit, suffitum ^{Fomentum} talem per embotum recipiendum præparabis.

℞ Colophomiæ ꝓ l.

Spodij,

Boli Armeniæ,

Blattæ Byzantiniæ,

Papaueris nigri,

Hyoſcyami, ana ꝓ. ij.

Misce & fiat puluis crassus.

Vel hoc ualde probato experimento utendū. ℞ Corticum piceæ tritorum à coriarijs, qui ad opus suum ijs iam usi fuerint, ꝑb. j. gallarum partes seu nucleos interiores; racemos uel scapos uuarū aridos; hæc simul mixta bulliant in aqua chalybeata, illudq; fomentum per embotum mulier in matricem dirigat: eoq; facto, pro confortatione ex præscripto electuario buccellam comedat.

Mire probatur etiam unguentum comitissæ, quod ^{Unguentum} quia myropolis notum, nō fuit opus huc adscribere. Id autem si comparari non possit, unguento sequenti sic parato uti licebit utiliter.

℞ Olei myrtillorum ꝓ iiij.

Succi plantaginis maioris ana ꝓ ij.

Pulueris mastiches ꝓ. ij.

Seminis sumach,

Succi acaciæ,

Hypocisthidos,

Myrtillorum,

Terræ sigillatæ,

Boli Armeniæ ana ꝓ. ij. l.

Spodij,
 Hordei usti,
 Rosarum rubearum, ana ʒ. j.
 Misce cum cera q. s. & fiat unguentum.

Epithema. Epithema quoq; utile tale fiat.
 ℞ Succī consolidæ maioris,
 Plantaginis utriusq;
 Pentaphylli, ana partes æquales.
 Aceti parum.

Misce omnia, ijsq; madefacta linteamina uentri & lum-
 bis imposito.

Vel aliud hac forma parabis.

℞ Succī acaciæ,
 Hypocisthidos,
 Psidix,
 Terræ sigillatæ,
 Trochiscorum de carabe,
 Colophomiæ, ana ʒ l.

Misce & fiat puluis, quem cum succo plantaginis suba-
 ctum cataplasmatibus modo ante & retro adhibebis.

Emplastrū Emplastrum quoq; non inutile tale fiat.

℞ Pulueris cornu cerui usti,
 Chartæ combustæ,
 Squamæ ferri ana ʒ j.
 Capitulum glandium ʒ ij.

Misce & fiat puluis, qui cum albumine oui, pauco aceto
 & aqua plantaginis subactus, fiat emplastrum.

Aliud quoddam hoc modo parabitur.

℞ Mastiches,
 Olibani,
 Mumix,
 Sanguinis draconis, ana ʒ j.

Pſyllij uſti,
 Aluminis,
 Radicum ſymphyti,
 Pſidiæ,
 Balauſtiorum, ana partes æquales
 omnium pulueriſatorum ʒ ſ.
 Lumbricorum tritorum,
 Thuris, ana ʒ. ij.

Miſce, & cum albumine oui, pauco aceto & aqua plantaginis fiat emplaſtrum.

Aliud emplaſtrum epithematis modo utendum, rurſum ſic fiat. ℞ Succum plantaginis aceto mixtum, in ea mixtura corium uaccinum liquefacito, deinde coquito, pannumq; aliquoties complicatū ei decoctioni mergito, & ut epithema pro more imponito.

Quod ſi omnibus hiſ frustra uſus fueris, tandem hiſ *Peffaria.* peſſarijs, miram aſtringendi uim habētibus, uti poteris.

℞ Tryphera magna,
 Mictetæ,
 Athanaſiæ, ana ʒ j.
 Hypociſthidos,
 Succiacaciæ,
 Boli Armeniæ,
 Sanguinis draconis,
 Radicum conſolidæ maioris,
 Arnogloſſi,
 Gallarum,
 Pſidiæ, ana ʒ. j.

Miſceantur & incorporentur omnia cum ſucco plantaginis & rutæ, ſiantq; peſſaria.

Vel aliter.

℞ Gallarum immaturarum combuſtarum

A

aceto extinctarum ʒ. ij.
 Gummi Arabici ʒ. f.
 Sanguinis draconis,
 Pulueris radicum symphyti,
 Sumach,
 Mastiches,
 Caputum glandium,
 Hypocisthidos,
 Acacia,
 Cornu cerui usti,
 Colophomia,
 Myrrha,
 Scoriam ferri, ana ʒ. j.
 Camphora ʒ. j.

Misce & incorpora omnia simul cum succis sanguinariæ,
 semperuiuæ, solani, uermicularis & plantaginis q. f.
 fiatque pessarium. Vel aliter.

ʒ. Cineris testarum ouorum combustarum,
 Testarum de cancris,
 Sanguinis draconis,
 Boli Armeniæ,
 Stercoris bouini sicci, ana ʒ. ij.
 Marchasitæ argenti uel auri diligen-
 tissime triti ʒ. j.
 Pilorum hircorum,
 Leporum,
 Bombacis, omnium combustorum, ana ʒ. f.

Si fluxus
 à calidita-
 te sangui-
 nis sit, quo-
 modo cur-
 randus.

Misce cum succo rutæ & plantaginis q. f. & fiat pessarium.
 Quod si autem nimia sanguinis caliditas fluxum im-
 pulerit, magnamque sitim pepererit, diæta ad frigidum &
 siccum declinanda erit, ususque rerum externarum om-
 nium talis instituendus est qui corpus confirmet & ue-
 getet.

getet. Potus esto, aqua chalybeata, syrupo granatorum mixta. Electuarium autem tale primum parari poterit, de quo mane & uesperis & post cibum sumptum buccellam quantitate nucis castaneae comodat.

℞ Conseruæ rosarum antiquæ ʒ j.

Diaolibani ʒ ij.

Corallij rubei & præparati ʒ. j.

Margarit. præparat. ʒ j.

Seminis cumini in aceto per diem infusi ʒ. j. f.

Menthæ siccæ ʒ iiij.

Olibani ʒ ij.

Mastiches,

Nucis cupressi,

Radiciis bistortæ, ana ʒ. f.

Spicæ Indicæ ʒ j.

Terenda terantur, omnia cum syrupo de granatis q. f. subacta fiant electuarium deauratum.

Pilulis sequentibus etiã utendũ erit quinque ex illis mane, uel tribus ante coenã horis drachmę pōdere sumptis.

℞ Thuris,

Mastiches,

Mumia,

Aluminis,

Cornu cerui usti & loti,

Nucuum cupressi,

Coaguli leporis uel hœdi, ana ʒ. j.

Gummi Arabici ʒ. j.

Misce & cum succo cardui Mariæ fiat massa pilularum.

Laudantur hic & pilulæ de bdellio cum succo porri præparatæ.

Emplastrũ hoc, uel solida, uel liquida forma unguenti

modo paratum, multam ante & retro perungendo mulierem uim habebit.

℞ Olei mastiches ʒ ij.
 Myrtini,
 Succi menthæ,
 Rosarum rubearum, ana ʒ j.
 Pulueris mastiches ʒ ij.
 Nucum cupressi,
 Mumia,
 Bistortæ,
 Olibani,
 Myrtillorum,
 Rosarum rubearum, ana ʒ. ij.
 Gypsi usti,
 Aluminis,
 Gallarum,
 Caputum glandium, ana ʒ. j.
 Boli Armenia,
 Terræ sigillatæ, ana ʒ. f.
 Ceræ albæ q. f.
 Misce & fiat emplastrum.

Hoc unguento uncta sequens cerotum ante retroq; impositum usq; gestare poterit.

℞ Mastiches ʒ j. f.
 Ladani,
 Olibani, ana ʒ. ij.
 Gallarum,
 Nucum cupressi,
 Bistortæ,
 Mumia, ana ʒ. j.
 Myrrhæ,
 Galbani,
 Terræ sigillatæ, ana ʒ ij.

Misce

Misce cum oleo mastichino & cera q. s. fiatq; cerottum, quod supra corium album linitum ante retroq; mulieri fluxum patienti imponatur. Profunt in hoc casu thermae, non sulphureae, sed cupro & alumine constantes.

Quod si autem ex sola frigiditate sanguinis fluxus ortus fuerit, tum eo omnino modo procedendum ut supra in curanda sterilitate phlegmatica praescripsimus.

C A P V T X I.

De retentionis menstruorum causis & cura.



VIA uero de nimis mensium fluxibus eorumdemq; cura priori capite docuimus, proximum est de retentione ipsorum aliquatulum quoq; uerba tacere. Inde enim plurimae aegritudines contrahuntur, si contra naturam detineantur, nec singulis lunationibus in mulieribus aetate & habitudine corporis bene dispositis tanto fluxu quanto oportebat, alleuentur. Hanc autem externis & internis de causis contingere tenendum est.

Externae causae sunt, aer nimis calidus, frigidus & sic *Externae*
 cus, cibi nimis calidi & styptici, quibus humores adu- *causa re-*
 runtur, corpus exiccatur & concoctiones impediuntur: *tionis*
 cibi item nimis frigidi, propter frigus nimium reliquos *menstruo-*
 corporis humores congelantes, & restringendo ab exi- *rum.*
 tu prohibentes. Ad has causas & haec pertinent: uigilia ni-
 mia, ieiunium immodicum, intempestiua & subitanea
 quaeuis corporis commotio, uelut ira grandis, furor su-
 bitus, moestitia grauis, luctus ingens, sollicitudo nimia,
 labor magnus, morbi maiores quiuis, paroxysmi acuti,
 febris quartana, cephalaea, hectica, pinguedo nimia, flu-
 xus sanguinis narium uel membri alicuius alterius, hula-
 cera & apostemata grandia.

*Internæ
causæ.*

Internæ causæ sunt, partim ex humoris uitio, partim uero sine humoris uitio contractæ. Sine humoris uitio causæ sunt, nimia caliditas, frigiditas & siccitas. Biliosus enim propter caliditatem nimiam humores exiccantur, eorum menstrua retinentur. Melancholicis autem propter nimiam frigiditatem & siccitatem idem contingit.

*Vitium
qualitatu.*

Quando autem sine humoris uitio contingunt, qualitates in causam trahere oportet, licetque certis signis obseruare ex quam qualitate, rursumque an ex simplici uel composita profecta sint. Si ex frigiditate & siccitate, menses fluent paucissimi, color erit pallidus, desiderium Venenis nullum, urina tenuis, alba & sine debita in fundo subsistentia. Si ex caliditate & siccitate, menstrua erunt pauca, color eorum rubicundior. Venenis appetitus maior, urina tenuis, rubicunda, subsistentia in fundo eius fere nulla.

*Vitium hu-
morum.*

Vt plurimum autem humoris uitio isthæc retentio contingit, puta phlegmatis, cholæræ & melancholiarum, sanguinis uero nequaquam, quia illi propter dominantes humores reliquos in sanguine retinetur tantum.

Signa autem communia quibus obseruatur humoris uitio retentionem hanc contractam esse, hæc sunt, dolores inquam ab umbilico ad pudenda usque maximis, & circa renes, lumbos & coxas continui, capitis uero plurimi, nec non sudores frigidi: oculorum ægritudines propter ipsorum cum matrice affinitatem multæ, palpebrarum tristis grauitas, color pallidus, mærores multi, frequens fastidium cibi, appetitus inertes, membrorum debilitas, & grauedo totius corporis. Sed pro humorum qualitate hic quoque maxima obseruantur discrimina, uti sequenti tractatione manifestum fiet.

*Si à phle-
gmate ue-
niat, que
signa er-
que curæ.*

Si à phlegmate causa sit, mulieres pallefcunt, oculi liuescunt, supercilia tument, frigus in fundo matricis sentitur,

titur, crassi & foetidi humores interdum diffluunt, albi
 menses stillant, urina pallida, lactea, spissa crassaq; in fun-
 do obseruatur subsistentia. Vbi autem haec causa obser-
 uata fueri, primum diæta ad calidum & siccum dirigen-
 da erit: deinde frigida isthęc materia sequenti syrupo ad *Syrupo*
 purgationem erit emollienda & preparanda.

℞ Chamæpityos,
 Chamædryos,
 Origani,
 Rosmarini,
 Pulegij,
 Saluiæ,
 Sisymbrij,
 Calamenti,
 Mentastri,
 Origani,
 Thymi, ana M. j.
 Foliorum senæ ʒ j.
 Radicum rusci,
 Asparagi,
 Apij,
 Petroselini,
 Raphani syluestris,
 Ruberæ maioris.
 Valerianæ, ana ʒ j. s.
 Granorum iuniperi ʒ iij.
 Agarici ʒ. ij.
 Seminis urticæ,
 Dauci,
 Ameos,
 Anisi,
 Maratri,

Costi, ana ꝑ i.

Misceantur & conquassentur omnia, atq; decoquantur in aquæ fontanæ ꝑb. iij. ad medietatem colentur, & colaturæ addatur sacchari q. s. aromatizetur cum cinamomi ꝑ. ij. & fiat syrupus, cuius dosis sint ꝑ iij.

Vel aliud digestiuum tale fiat.

℞ Oximelitis compositi ꝑ iij.

Syrupi de artemisia ꝑ ij.

Aquarum artemisias &

Melissæ, ana ꝑ iiij. s.

Aromatizetur cum cinamomi ꝑ. j.

Fiat potio tribus haustibus sumenda.

Potio.

Præparata ad purgationem hoc modo materia, tum sequenti potione erit expurganda.

℞ Cassiæ bene pinguis & extractæ cum decoctione chamædryos ꝑ j.

Cuscutæ,

Liquiritiæ,

Polypodij,

Passularum,

Capillorum Veneris ana M. s.

Cassiæ extractæ,

Electuarij Indi, ana ꝑ. iiij.

Syrupi de radicibus sine aceto ꝑ j.

Misce & cum iusculo cicerum rubeorum fiat potus, cuius dosis sit ꝑ ij.

Pilula.

Si pro potu pilulæ magis adlibuerint, his erit utendū.

℞ Massarum pilularum foetidarum,

Aggregatiuarum, ana ꝑ. s.

Diagridij grana iij.

Misce cum syrupo de artemisia, fiantq; pilulæ, quarum una uice IX. erunt sumendæ.

Vel

Vel puluis hic in iusculo cicerum uel aqua lactis *su* Puluis.
 mendus, sic parabitur.

- ℞ Turbit electi ʒ. j. uel ʒ. iiij.
 Zingiberis ʒ. f.
 Salis gemmæ grana ʒ. j.
 Croci grana ij.
 Cinamomi grana iiij.
 Sacchari ʒ. ij.
 Misce & fiat puluis.

Vel potione sequenti utendum.

- ℞ Benedictæ laxatiuæ,
 Electuarij Indi, ana ʒ. ij.
 Diacassia ʒ. iiij.
 Misce cum aqua
 Melissæ &
 Artemisiæ q. f.
 Et fiat haustus.

Vel morselli purgantes tales fiant.

- ℞ Rosarum rubearum,
 Zingiberis,
 Cinamomi, ana ʒ. ij.
 Sandali albi & rubei, ana ʒ. j.
 Hermodactylorum,
 Esulæ, ana ʒ. iiij.
 Turbit ʒ. iiij.
 Diagridij ʒ. ij.
 Mastiches ʒ. j.
 Sacchari albi ꝑ. j.

Morselli.

Dissoluantur omnia hæc in aqua artemisiæ, & fiat con-
 sectio in morsellis, cuius dosis sit ʒ. iiij.

Vel infusione sequenti utendum.

- ℞ Agarici ʒ. f.

Infusio.

B

Zingiberis \mathfrak{z} ij.

Salis gemmæ \mathfrak{z} f.

Infundantur in aquæ artemisiæ \mathfrak{z} iij.

Adde oxymelitis squillitici \mathfrak{z} j.

Infundantur omnia hæc horis XII. deinde colentur, exprimantur & aromatizentur cum cinamomo & saccharo q. s. fiatq; potus.

Balneum. Expurgata iã sufficiēter superflua materia, proximū est ut tale balneum cui expurgata insideat, præparetur.

℞ Sauiñæ,

Calamenti,

Origani,

Melissæ,

Matricariæ,

Mentastri,

Pulegij,

Meliloti,

Chamæmali, ana M. ij.

Chelidoniæ,

Peucedani,

Prassij,

Absinthij, ana M. j.

Foliorum lauri,

Lauendulæ,

Mercurialis,

Rosmarini,

Ozimi,

Florum sambuci, ana M. iij.

Althææ cum radicibus M. iij.

Artemisiæ M. vj.

Radicum ualerianæ ℞. ij.

Omnia hæc excepta artemisia conquassentur, & sacco conclusa

conclusa in aqua bulliant, fiatq; balneum.

Balneo egressa lecto decumbat, & sequenti unguen-^{Vnguentū}
to infra umbilicum & circa lumbos ungetur.

- ℞ Olei liliorum,
Amygdalorum dulcium,
Medullæ cruris vituli, ana ʒ j.
Muscilaginis althææ,
Fœnogræci,
Seminis lini, ana ʒ j.
Ceræ q. s.
Misce trita, & fiat unguentum.

Hoc facto, de sequenti puluere cochleare unum plenum ^{Pulvis.}
cum iusta prioris decoctionis parte sumptum, bene cali-
dum ebibat, & deinde lecto decumbens quiescat.

- ℞ Cinamomi electi,
Corticum cassiæ fistulæ, ana ʒ s.
Cassiæ lignæ ʒ. iij.
Crocī ʒ. j. s.
Aristolochiæ rotundæ,
Asari,
Calami aromatici,
Corticum radicum capparis,
Costi,
Dictamni,
Radicis tormentillæ,
Eryngij,
Laccæ, ana ʒ iij.
Chamæpityos,
Chamædryos,
Foliorum lauri,
Origani,
Pulegij,

Zingiberis,
 Calamenti,
 Thymi,
 Seminum leuistici,
 Rutæ agreftis,
 Dauci,
 Nasturtij agreftis,
 Hyffopi,
 Cubeborum,
 Nigellæ,
 Ameos,
 Anisi,
 Marathri,
 Baccarum lauri,
 Serapini, ana ʒ. ſ.
 Sacchari ad pondus omnium.
 Mifce & fiat puluis.

Si puluerem hunc hoc modo fumere faftidierit, confe-
 ctio in morfellis, de quibus femper post balneum come-
 dat, hoc modo fiat. R̄ Prædicti pulueris ſine ſaccharo
 ʒ j. ſacchari uero albi ʒ ʒ. ſ. Diſſoluatur ſaccharum in de-
 coctione priori uel aqua artemiſiæ q. ſ. & confectio in
 morfellis fiat.

Probantur in hac cauſa à phlegmate profecta omnes
 calidioreſ thermæ multo ſulphure conſtantes, quales
 ſunt Badenſes noſtræ.

Fomentū.

Quod ſi autem præſcripto balneo uti mulier non po-
 tuerit, iiii. M. ex prædictis ſpeciebus collectis ſumat,
 cum uino optimo decoquat, & ſumum illarum per em-
 botum recipiat.

Suffius.

Si & hoc ferendo impar fuerit, tamen ſequenti ſuffi-
 tu ſuffiatur.

R̄ Amo-

- ℞ Amomi,
Galbanī, ana ʒ. iij.
Assæ foetidæ,
Castorei,
Spodij, ana ʒ. j.

Misce & fiat puluis, de quo una uice ʒ. j. prunæ iniecta
suffitus in matricem tantum recipiendus fiat.

Post suffitum factum his pilulis utatur, viij. una dosi *Pilula.*
sumptis.

- ℞ Fructus sauinæ ʒ. ij.
Rutæ siccæ ʒ. j.
Seminis rutæ agrestis ʒ. f.
Assæ foetidæ,
Lachrymæ Ammoniæ,
Rubeæ tinctorum, ana ʒ. j.
Myrrhæ,
Castorei, ana ʒ. ij.
Cinamomi,
Piperis nigri, ana ʒ. f.

Misceantur omnia fiantq; puluis, & aqua artemisiæ subi
gantur, & pilulæ ad modum cicerum formentur.

His omnibus peractis utræq; saphenæ in utroq; pede
descendente luna aperiendæ erunt.

Deinceps his pessarijs uti licebit.

Pessaria.

- ℞ Theriæ,
Mithridatij, ana ʒ. f.
Castorei,
Lachrymæ Ammoniæ ana ʒ. j.

Misce cum bombace in succo mercuriali tincto, & fac
pessarium. Vel aliter.

- ℞ Succu rutæ,
Absinthij, ana partes æquales.

Myrrha,
 Euphorbij,
 Castorei,
 Seminis sauinæ, ana ʒ. j. s.
 Misce & fiat pessarium.

Aliud pro mulieribus natura robustioribus sic parari poterit.

℞ Ellebori albi,
 Pyretri, ana ʒ. iij.
 Nigellæ,
 • Diagridij, ana ʒ. j.
 Misce cum succo mercurialis, &
 fiat pessarium.

Aliud, maioris efficaciam tale fiat.

℞ Nigellæ,
 Staphisagriæ,
 Centauræ minoris, ana ʒ. ij.
 Ellebori albi,
 Vitri,
 Salis gemmæ,
 Piperis nigri,
 Diagridij, ana ʒ. ij.
 Aloes,
 Ladani,
 Galbani,
 Terebinthinæ claræ,
 Styracis calamitæ, ana ʒ. iij.
 Ambra ʒ. j.

Misceantur omnia, & calido pistillo propter gummi incorporentur, & inclusa panno in mercuriali succo made facto, fiant pessaria. Vel aliter.

℞ Gentianæ ʒ. ij.

Sauinæ

Sauinæ,
 Staphisagriæ,
 Colocynthidis,
 Nigellæ, ana ʒ. j. ſ.

Incorporentur hæc omnia cum succo cucumeris asini-
 ni, id est, elaterij, uel succo mercurialis, & fiant pessaria.

Priora hæc si parum prodesse uidentur, alia pessaria
 hoc modo paranda erunt.

℞ Succo mercurialis,
 Absinthij,
 Matricariæ,
 Artemisiæ, ana ʒ. iij.
 Myrrhæ,
 Euphorbij,
 Castorei, ana ʒ. ij.
 Seminis sauinæ,
 Nigellæ, ana ʒ. j.
 Ladani,
 Galbani, ana ʒ. j. ſ.

Terenda terantur, succi autem ad spissitudinem deco-
 quantur, fiant pessaria lōgitudine & crassitudine unius
 digiti.

Cæterum si à bile menstruorum retentio proueniat, *Si à bile re-*
 in fundo matricis calor, siccitas, coarctatio & duricies *tentio men-*
 quædam non sine doloribus & puncturis obseruabitur. *sum sit,*
 Comitantur has notas, desiderium Veneris, palpebra- *quomodo*
 rum color citrinus, urina rubea, menses pauci coloris ci- *curanda.*
 trini semper. Ea autem causa cognita, uniuersa diæta
 ad frigidum & siccum declināda erit. Deinde superflua
 materia sequenti decoctione ad purgationem erit præ-
 paranda.

℞ Foliorum sene ʒ. j.

Artemisiæ, M. ij.
 Capillorum Veneris,
 Acetosæ,
 Endiuia,
 Scolopendriæ,
 Betonica,
 Eupatorii,
 Melissa,
 Mercurialis, ana M. j.
 Seminum quatuor frigidorum,
 Agni casti,
 Dauci sylvestris,
 Pæonia,
 Asparagi,
 Abrotoni,
 Endiuia,
 Basilici,
 Milij solis, ana ꝓ s.
 Rosarum rubearum,
 Florum borraginis,
 Violarum, ana p. j.
 Radicum rhabbari electi ꝓ. j.
 Valeriana,
 Rusci,
 Asparagi,
 Petroselini,
 Apij, ana ꝓ j.
 Cyperi,
 Spicæ, ana ꝓ j. s.
 Cicerum,
 Faseolorum rubeorum,
 Granorum iuniperi,

Fœnogræci, ana p. j.

Misceantur & quassentur hæc omnia, & cum aquæ fontanæ ℞. iij. decoquantur ad medietatem usq; colentur & colaturæ addatur sacchari q. s. & cū cinamomi z. j. s. aromatizetur. Huius decoctionis ℞ iij. quatuor continuis diebus mane uacuo adhuc uentriculo, uel uesperitribus ante cœnam horis bene calidas bibendas præbebis.

Si autem decoctionem hanc horruerit, sequenti syrui *Syrupus.* potatur.

℞ Syrupi acetosæ simplicis ℞ j.
Oxymelitis simplicis ℞ s.

Misce cum aquarum cichoreæ & endiuia ana ℞ j. & fiat haustus unus. Vel aliter,

℞ Syrupi de rosis persicis ℞ j.
de Endiuia ℞ s.

Misce cum prædictæ decoctionis uel aquæ endiuia ℞ ij. & fiat haustus unus.

Vel talia solutiua parare poteris.

℞ Mannæ ℞ s.
Elect. de succo rosarum,
Confectionis hamech,
Diacassia, ana z. j.
Syrupi uiolarum ℞ s.
Aquarum cichoreæ &
Endiuia, ana ℞ j.
Miscendo fiat haustus unus.

Vel aliter.

℞ Rhabarbari electi z. ij.
Spicæ nardi grana vj.

Vino optimo conspersa, in aqua lactis horis XII. infundito, deinde cola, & colaturæ adde

Mannæ,
 Cassiæ nouiter extractæ ana ꝑ ℥.
 Syrupi uiolearum ꝑ j.
 Aromatizetur cum cinamomo q. ℥.
 & fiat potus ꝑ iij. .

Balneum. Materia superflua his solutiuis iam sufficienter expurgata, balneum mox cui insideat tale est decoquendum.

℞ Althææ cum radicibus M. iij.
 Artemisiæ M. ij.
 Florum sambuci,
 Foliorum salicis,
 Matris uiolearum,
 Polytrichi, ana M. j.
 Valerianæ ꝑ ℥. f.
 Fœnogræci,
 Seminis lini, ana ꝑ iij.
 Salis communis ʒ. ij.
 Aluminis rochæ ꝑ ℥.
 Sulphuris ʒ. j.

Conquassentur, misceantur & sacco concludantur omnia, fiatq; coquendo balneum, cui mulier insideat. Pro sunt in hoc casu omnes aque alumine & cupro tēperatę.

Unguentū Balneo egressa semper circa lumbos & infra umbilicū cum hoc unguento perungatur.

℞ Olei rosarum,
 Amygdalorum dulcium,
 Violarum, ana ꝑ j.
 Medullæ cruris uituli ꝑ ℥. ʒ. ij.
 Butyri sine sale,
 Pinguedinis gallinæ,
 Muscilaginis fœnogræci,
 Muscilaginis seminis lini, ana ꝑ ℥.

Ceræ

Ceræ q. s.

Et fiat unguentum forma liquida.

Post unctionem factam de sequenti puluere cochleare ^{Puluis.}
unum plenum in decoctionis adscriptę modico potu sumat, & lecto decumbens quiescat.

℞ Herbarum acetosę,

Melissę,

Mercurialis,

Artemisii,

Cicerum rubeorum,

Faseolorum rubeorum,

Fœnogræci,

Radicis imperatorię,

Valerianę, ana M. s.

Misce cum uino q. s. fiatq; decoctio, coletur & colaturę addantur sequentis pulueris ʒ ij. simulq; bibantur bene calida.

℞ Corticum cassię fistulę,

Cyperii, ana ʒ. j.

Radicis tormentillę,

Pæonię à superiori cortice mundatę,

Cinamomi, ana ʒ. ij.

Croci,

Seminis dauci syluestris,

Granorum pæonię ana ʒ. j. s.

Seminum agni casti,

Apii,

Basilici,

Petroselinii,

Mercurialis,

Asparagi,

Milii solis, ana ʒ. s.

Capillorum Veneris,
 Polytrichi,
 Chamæmeli,
 Betonicæ,
 Eupatorii,
 Spicæ nardi,
 Squinanthi,
 Lupulorum,
 Endiuivæ ana ꝑ j.
 Sacchari tantundem,
 Misce & fiat puluis.

Tabulæ. Si puluere hoc prædicto modo uti non uoluerit, confectio in tabulis fiat, quas balneo egressa aut solas comedat, aut præscripto decocto dissolutas sumat. Harum autem confectio talis sit. ꝛ præscripti pulueris sine saccharo ꝑ j. sacchari albi ꝑb. s. saccharum dissoluatur aqua rosarum, subigatur puluis, fiantque tabulæ in morsellis.

Fomentum. Si balneo hoc uti non placuerit, tamen fomento hoc utatur.

ꝛ Abrotoni,
 Aneti,
 Artemisiæ,
 Chamæmeli,
 Gallitrici,
 Melissæ,
 Mercurialis,
 Florum sambuci,
 Rosarum rubearum, ana m. j.
 Fœnogræci,
 Seminis lini, ana ꝑb. s.

Misce omnia, fiatque decoctio cum uino q. s. qua foueatur mulier.

Vel sequentem hunc suffitum per embotū recipiat. *Suffitum.*

℞ Seminis agni casti ʒ j.

Aneti m. j.

Carui,

Costi, ana ʒ j.

Misce & fiat decoctio cum uino q. s.

Omnibus his peractis post diem quintum aut sextum uenæ malleoli uel saphenæ utriusq; pedis aperiēde sunt, uel uno die tantum una, altero uero etiam altera. Proderit & in balneo sudare, nec non circa coxas uentosis cutem scarificare.

Deinde & pessarijs his uti licebit.

Pessaria.

℞ Boracis,

Amomi,

Myrrhæ,

Aristolochiæ rotundæ,

Calami aromatici,

Caryophyllorum,

Maioranæ ana ʒ. j. s.

Diagridij grana x.

Misce cum succis artemisiæ, absynthij & mentastri q. s. fiatq; nasale quo utendum erit continue.

Vel aliter.

℞ Trypheræ magnæ sine opio ʒ s.

Myrrhæ,

Calamenti montani, ana ʒ. ij.

Rutæ recentis ʒ. iiij.

Sauinæ,

Radicum abrotoni, ana ʒ. iiij.

Ladani,

Galbani,

Serapini,

Affæ foetidæ ana ʒ. j. ſ.
 Radicum rubeæ maioris,
 Cyperi ana ʒ. j.

Misce & fiat puluis, ſed cum felle tauri & oleo liliorum
 fiat peſſarium.

Vel ſequenti peſſario erit utendum.

℞ Succı mercurialis,
 Abſinthij,
 Maioranæ,
 Artemiſiæ,
 Gallitrici,
 Mentaftri, ana ʒ. ſ.

His ſuccis præſcriptos pulueres miſce, & peſſarium de-
 bita quantitate confice.

Quando
 ex melan-
 cholia fue-
 rit, quomo-
 do curãda.

Quando autem ex melancholia menſtruum reten-
 tio prouenerit, dolores & ſonitus in fundo matricis ob-
 ſeruantur, propter uentofitates ſimul mixtas & conclu-
 ſas. Vrına tenuis, liuida & remiſſa erit; pannus eo fluxu
 tinctus colore lurido comparebit. Hac autem cauſa co-
 gnita, ante omnia diætã ad calidum & humidum eſt de-
 clinanda. Deinde ſuperans materia ſequenti decoctione
 uel digeſtione emollienda & ad purgationem erit præpa-
 randa.

℞ Foliorum fene ʒ. j.
 Herbarum calamenti,
 Origanı,
 Artemiſiæ,
 Stachados,
 Scolopendriæ,
 Eupatoriij, ana M. ſ.
 Florum borraginis,
 Bugloſſi,

Violarum,

Violarum,
 Capillorum Veneris,
 Chamædryos, ana p. j.
 Radicum apij,
 Asparagi,
 Fœniculi,
 Corticum rad. capparum, ana z. ij.
 Liquiritiæ,
 Passularum, ana z̄ f.
 Rhabarbari electi,
 Agarici ana z. j.

Misce cum aqua fontana, & decoquatur usq; ad medie-
 tatem: cola deinde, & colaturæ adde sacchari albi q. f. &
 aromatizetur cum cinamomi z. j. Ex decocto hoc toties
 infirmæ præbendum, donec materia satis emollita vi-
 deatur esse.

Vel aliud digestiuum parabis hoc modo.

℞ Oxytelitis simplicis z̄ j.
 Syrupi de radicibus z̄ f.
 Aquarum asparagi &
 Sambuci, ana z̄ j.
 Aromatizetur cum cinamomo q. f.
 & fiat haustus unus.

Materia autem satis emollita sequenti potione erit ex-
 purganda.

℞ Capillorum Veneris,
 Florum borraginis,
 Buglossi,
 Violarum,
 Lupulorum,
 Stachados,
 Chamædryos ana m. f.

Polypodij ʒ. iiij.

Liquiritiæ,

Passularum, ana ʒ f.

Misceantur & cōquassentur omnia, fiatq; decoctio cum aqua fontana q. f. ad medietatem usq; cola deinde, & colaturæ adde,

Syrupi de epithymo,

Violarum,

Cassix nouiter extractæ,

Mannæ, ana ʒ. iiij.

Electuarij hamech,

Diafiniconis, ana ʒ. j. f.

Misce & fiat minoratiuum.

Vel si placet hoc modo fiat.

℞ Myrobalanorum Indorum ʒ f.

Citrinorum ʒ. ij.

Infundantur in aqua lactis per horas XII. deinde exprimantur & colaturæ addantur,

Cassix extractæ,

Mannæ, ana ʒ f.

Pulueris epithymi ʒ. ij.

Zingiberis grana vj.

Sacchari q. f.

Misce & fiat potus.

In hoc casu & pilulæ Indæ probantur maxime.

Expurgata autem sufficienter abundante materia, balnea quoq; fomenta, suffitus, unguenta, pulueres, pessaria instrui poterunt eo modo uti de phlegmate & cholera modo diximus, sed non sine peritorum medicorum consilio. Iam enim de retentione menstruum certa de causa plura dicendi finem facimus.

HAEC sunt, Lector humanissime, quæ p̄ instituta breuitate, de feminis & humanæ genituræ origine, natura, conceptu, alteratione, incremento & perfectione: nec non de matricis habitu, dispositione, natura, partibus, partuumq̄ naturalium & non naturalium diuersis formis, infantibus uiuis & mortuis & secundis quoq̄ impellendis & extrahendis: rursumq̄ de falsis cōceptibus uteriq̄ tumoribus primarijs, ueluti mola, tympaniti & hydrope, cum multa illorum curandorum doctrina, simulq̄ de genituræ defectibus, infantibus imperfectis & monstrosis partibus, conceptusq̄ dignoscendi & agnoscendi rationibus: sterilitatis item, cōceptum generationemq̄ impediētis, diuersissimis ex causis ortæ signa & curas, cum uarijs sterilitatis corrigendæ & fœcunditatis adiuuandæ præceptis, unâ cum potissimis matricis ægritudinibus, suffocatione, præcipitatione, nimio mensum fluxu eorundemq̄ retentione, quæ & ipsæ conceptum prohibent, generandiq̄ uirtutem impediunt, simul adhibitis earum curis uarijs ac diuersis, dare uoluimus: quæ si grata tibi fore uidebimus, aliquando & de puerperarum infantiumq̄ recens natorum uarijs ægritudinibus curandis, quæ hinc inde à multis utiliter prodita sunt colligemus, & uolente Domino publicæ utilitatis gratia in lucem dabimus.

F I N I S.

ERRATA QVAE-
dam paucula.

Folio 9. a. arteriam cordis. Lege arteriarum cordis. Folio 14. b. natura-
lis sibi humoris. Sibi, abundat. Folio 27. b. incurabilis moribus. Lege in-
curabilis morbus. Fol. 53. a. tribus mensibus. Omissum est, primis. Fol.
54. b. renorum, Lege renum, ad marginem. Fol. 46. b. syrupo minuen-
da & expurganda. Lege syrupo preparanda & digerenda. Fol. 63. a.
cum aqua fontana & aceti ana ℥ iij. Lege cum aqua fontana q. s. & ace-
ti ℥ iij. Fol. 91. a. Diarhodon specierum albath. Lege abbatis.







